BROTERO.

PHYT. LUSITANICA

2

A
47
29

BIBLIOT[illegible] HOSPIT[illegible]
Sala: A
Estante: 47
Número: 29
24
5
9

R.2238 Nº 582 AR: 8 T-5

PHYTOGRAPHIA
LUSITANIÆ SELECTIOR

SEU

NOVARUM, RARIORUM, ET ALIARUM MINUS COGNITARUM STIRPIUM, QUÆ IN LUSITANIA SPONTE VENIUNT, EJUSDEMQUE FLORAM SPECTANT, DESCRIPTIONES ICONIBUS ILLUSTRATÆ.

24/5-9

TOM. II.

AUCTORE

FELICE AVELLAR BROTERO

EQ. REG. ORD. D. B. DE AVIS DOCT. M. AC PHIL. BOTAN. ET PHYTOGEURG. IN ACAD. CONIMBR. PROFESS. NUNC EMERITI MUS. ET HORT. REG. BOT. OLIS. IN AJUDA SITI PRÆF. SOCIET. LINN. LOND. ET HORTIC. LOND. MEMB. REG. SCIENT. OLISIP. PHILOMATH. PARIS. HIST. NAT. ROSTOCK. PHYSIOGR. LUNDENS. BONN. ACAD. CÆSAR. NATURÆ CURIOS. MARBURG. ET ALIARUM SODALIS.

Del legado de D. Mariano del Amo

GRANADA

UNIVERSIDAD DE GRANADA LABORATORIO DE BOTÁNICA FACULTAD DE FARMACIA

OLISIPONE

EX TYPOGRAPHIA REGIA.

1827.

Permissu Regio.

Tab. 83.



SALVIA *hiemalis*

PHYTOGRAPHIA LUSITANIÆ.

DIANTHERIA MONOSTYLIA.

SALVIA *hiemalis.*

Lusit. *Salva de inverno.*

S. foliis radicalibus petiolatis omnibus, primariis lanceolato-ovatis, integris, crenatis, aliis ovato seu subcordato-oblongis, sinuatis, aut subsinuato-pinnatifidis, rugosis, glabriusculis, laciniis crenatis, vel inciso-dentatis; caulinis inferioribus formâ similibus, subsessilibus, summis sessilibus, cordatis, acuminatis, dentatis; bracteis cordatis, flore brevioribus; spica obtusa, demum late truncata; verticillis sexfloris; corollâ calycem longè superante.

S. *verbenacoides.* Brot. Flor. Lusit. Tom. I. pag. 17.

(Primitus tanquam veræ verbenacoidis varietas existimata).

S. *polymorpha.*
Link et Hoffmansegg Flor. Lusit. Tom. I. pag. 149 cum icone.

Horminum silvestre, inciso folio, cæsio flore, italicum.
Barrel. Icon. 220 Obs. 24.

Horminum silvestre primum, flore vario, secundum et tertium flore purpurascente.
Grisley Virid. Lusit. n. 751-52.

Radix perennis, primùm fusiformis, deinde inferne subramosa, cùm annosa pedem et ultra longe, ad collum ferè crassitudine digiti, lignosa, cortice crasso, nigro, subrimoso; inodora, sapore herbaceo.

Caulis annuus, tetragonus, angulis obtusiusculis, plerumque spithameus, rarissime brevior, interdum pedalis aut paulo ultra altior; inferne glabriusculus, aut subpubescens, supernè villosus, villis patulis guttulâ subviscosa terminatis; sæpe birameus aut quadrirameus, raro sexrameus; ramis axillaribus, decussatis, erectis, plerumque simplicissimis, raro duobus inferioribus subdivisis; cùm ex junioribus radicibus ortus solitarius, erectus, plures autem cùm ex adul-

tioribus et grandævis, quorum interiores tunc erecti, exteriores verò basi leviter retrorsum arcuati, deinde erecti; omnes Maio aut Junio siccescunt.

Folia radicalia omnia petiolata; quæ ex germinata seminali plantulâ proveniunt, omnia lanceolato-ovata, seu ovali-oblonga, obtusa, integra, crenata, supra glabriuscula, subtus subtomentosa, et fere ex omni parte illis Salviæ *officinalis* pariformia: quæ secundo, tertioque anno et aliis enascuntur, radicalia primaria, sæpe prædictis formâ, etsi maiora, similia, secundaria vero oblonga, inæqualiter sinuata, interdum plus minusve pinnatifida, laciniis inæqualibus, inæqualiterque crenatis vel dentatis, obtusa aut breviter acuta, rugosa, venosa, utrinque glabriuscula, subtus tamen venis subpilosa, unciam ad sesquiunciam lata, tres ad quatuor longa: eorum petiolus supra canaliculatus, subtus convexiusculus, striatus, subpilosus, sesquiunciam ad duas uncias longus. Folia caulina duo vel tria paria, opposita, inferiora nunc breviter petiolata, radicalibus similia etsi minora, nunc sessilia ovata, aut subcordata, acuta, serrata, seu inciso-dentata; superiora alia cordata, acuminata, subvillosa, sessilia.

Spica verticillosa; verticillis quatuor ad sex, raro ultrà, sæpe remotiusculis, sexfloris; verticillo supremo exiguo, abortivo, cito evanido ita, ut spica cito late truncata evadat. Flores pedicellati, pedicellis duas ad fere tres lineas longis, erectiusculis. Bracteæ sub singulo verticillo duæ, oppositæ, inferiores ovatæ, aut subcordatæ, calycis longitudine, seu paulo ipso longiores; superiores cordatæ, acuminatæ, integerrimæ, subvillosæ, ciliatæ, calyce breviores, sæpe reflexæ. Involucellum quadrisetum; setæ utrinque duæ inter bracteas, illasque decussantes, sublineares, molles, villosæ, erectæ, pedicellis florum paulo breviores, cito emarcescentes, caducæ.

Calyx campanulatus, hians, tres quatuorve lineas longus, fructifer subcernuus, viridis aut interdum subpurpurascens, extus, et intra usque ad medium, villosus, villis vesiculoso-glutinosis, striatus, costatus, costis scabriusculis, bilabiatus; labio superiori sensim ad apicem latiori, plicato, suprà bilacunoso, inter lacunas carinato, lateribus refracto, apice recurvo, obtuso, leviter emarginato, ibique denticulis tribus acutis, contiguis, brevissimis, vix conspicuis, instructo; labio inferiore longitudide superiori æquali, bidenteo, dentibus incurvis, lanceolatis, acuminatis, subpungentibus.

Corolla bilabiata; superiori labio ab inferiori remoto, cæruleo, compresso, subfalcato, obtuso, leviter emarginato, extus pubescenti, calycem ad tres lineas superante; labio inferiori paulo breviori, extus villoso, trilobo, laciniis duabus lateralibus cærulescentibus, brevibus, obtusis, deflexis, lobo medio maiori, albo, subrotundo, concavo, vix emarginato, aut vix crenulato. Faux tumida; tubus glaber, calyce angustior, albus. Corolla tota alba in hac specie rarissima est.

Stam. filamenta duo arcuata, transversim pedicello brevi affixa: antheræ sub labio superiori corollæ reclusæ. Præter hæc duo filamenta sunt et alia duo minima, simplicissima, erecta, sterilia, in fauce corollæ sita.

Pist. germen quadrifidum. Stylus filiformis, albidus, seu ex albido cæruleus, arcuatus, labio superiori Corollæ incumbens, illoque et staminibus sæpe parum longior. Stigmata duo setacea, acutissima, aliud alio brevius.

Semina nuda in fundo calycis sita, plerumque duo abortientia, et duo fertilia, subrotunda, ex fulvo fusca, hinc convexa, inde obsolete uniangulata.

Hab. ad vias, aggeres, et solo raro circa Conimbricam, Olisiponem et alibi in *Beira* et *Extremadura*. Floret ex Novembri usque ad Martium, raro Aprili. Perennis.

Usus ignotus. Planta inodora, sapore herbaceo.

Obs. 1.° Nimis affinis S. *clandestinæ* Lin., sed differt radice perennante, nec bienni, foliis caulinis latioribus, radicalibus, non rugosissimis, nec ut illa Salviæ *ceratophyllæ*. Phrasis et Icon 220 Barrelieri, quæ ex Clariss. Smith fide ad aliam speciem a S. *clandestina* Lin. diversam amandandæ, nostræ S. *hiemali* apprimè quadrant.

Obs. 2.° Etsi nostrâ in Flora Lusitanica istam cum alia Salvia, sub nomine S. *verbenacoides*, tanquam duas ejusdem speciei varietates conjunxi, nunc illas, uti duas diversas species, sejungendas esse opinor. Vera SALVIA *verbenacoides*, quæ a Clar. Link S. *polymorpha acutata* et *parviflora* nuncupatur, plùs ad S. *verbenacam* Lin. et ad S. *Lusitanicam* (La Mark Dict. Bot. Encycl.) accedit, quàm ad S. *clandestinam* Lin., et ad nostram S. *hiemalem;* namque altiori ramosiorique caule gaudet, foliis rugosioribus, raro pinnatifidis, spica acutatâ, nec late truncata, verticillis proprioribus, sæpe 5 ad 8, seriusque florentibus, corolla minore, interdum calycem paulo superante, utroque labio penitus cæruleo, atque approximato. Itaque cùm sit S. *verbenacæ* Lin. et *Lusitanicæ* La Mark nimis affinis, et forte earum varietas, usque dum ulterioribus observationibus decernatur, sitne diversa species, an illarum tantùm varietas, sub nomine S. *verbenacoides*, ut opinor, relinquenda.

Obs. 3.° Neque confundenda cum nostra Salvia *sclareoide*, quæ ab illa longe diversa, non solum quia eâ perseveranter elatior et ex omni parte maior, sed etiam quia viscosior, atque foliis radicalibus cordatis, seu subcordatis, integris, aut subsinuatis, nec unquam verè pinnatifidis, rugosissimis et minutissimè bullulatis, utrinque villosis, florendi tempore semper verno, et aliis notis. Vid. de hac Phytogr. Tom. I. pag. 3 et 203.

SALVIA *patula*.

Lusit. *Salva larga.*

S. foliis radicalibus petiolatis, cordatis, sinuato-dentatis, caulinis sessilibus; caule calycibusque villoso-glutinosis; bracteis cordatis, mucronatis, integerrimis, calycem æquantibus, aut paulo brevioribus, summis vacuis.

S. *patula.* Link et Hoffm. Flor. Lusit. Tom. I. pag. 151. Tab. 20.

S. *Æthiopis.* Brot. Flor. Lusit. Part. I. pag. 18.

S. *patula*, foliis radicalibus cordatis, lanatis, sinuoso-erosis; caule calycibusque villosis, glutinosis; bracteis concavis mucronatis; floribus summis evanidis. Desfont. Flor. Atlant. Vol. I. pag. 25.

Eadem varians foliis radicalibus tomentosis, aut interdum ferè glabris.

S. *patula.* La Mark. Dict. Bot Encycl. Meth. Tom. 6 pag. 630.

S. *patula*, viscosa, foliis radicalibus cordatis, dentato-sinuatis; caulinis sessilibus, oblongis; bracteis calycem æquantibus.

Valh. Enum. Plant. V. I. pag. 272 N.° 116.

Sclarea Lusitanica, glutinosa, amplissimo folio.

Tourn. J. R. H.

Huic potius referenda, quàm nostræ S. sclareoidis. Ex fide Herb. Vaillant.

Horminum silvestre, 4 et 5, latifolium, flore amplo cæruleo, aut interdum albo. Grisl Vir. Lusit. N.° 753-54. Huic quoque potius, quàm S. *sclareoidi* referendum.

Radix perennis, infernè subramosa, annosa crassitudine digiti, lignosa, cortice crasso, subrimoso, fusco.

Caulis annuus, sæpe solitarius, erectus, pedalis, bipedalis et ultra, firmus, tetragónus, angulis obtusiusculis, quadrisulcatus, ex viridi albidus, pilis patentibus apice glutinosis instructus, infernè simplex,

SALVIA *patula.*

supernè in ramos numerosos, ferè paniculatos, oppositos patulosque, divisus.

Folia radicalia in orbem procumbentia, magna, septem uncias et ultra longa, tres et ultra lata, petiolata, cordata seu subcordato-oblonga, interdum nonnulla subovalia, haud profundè sinuata, inæqualiter et acutè dentato-crenata, utrinque tomentoso-villosa, subtus incana, raro supra ferè glabra; petiolis crassis, latis, compressiusculis, suprà canaliculatis, subtus convexis. Folia caulina pauca, opposita, valde minora, sursum sensim decrescentia, ovato-oblonga, acuta, dentata, infima interdum breviter petiolata, alia sessilia.

Spica verticillata; verticilli plus minusve remoti, sexflori. Flores subsessiles, interdum, etsi raro, secundi; rachi villosâ, villis apice vesiculoso-viscosis. Bracteæ oppositæ, ovatæ, seu cordato-ovatæ, acutatæ, integerrimæ, ciliatæ, pubescentes, venosæ, calyci æquales, aut paulo breviores, sensim versus spicæ apicem decrescentes, supremæ parvæ, absque floribus.

Calyx viridis, campanulatus, striatus, villosus, villis guttulâ glutinosa terminatis, bilabiatus; labiis subæqualibus, superiori tridentato, dentibus parvis, inferiori bidenteo, dentibus longis; omnibus subulatis.

Corolla magna, roseo-alba, rarissimè cæruleata, bilabiata, labiis remotis; superiori compresso, arcuato, leviter emarginato, interdum obsolete crenulato, extus subpubescenti; inferiori vix breviori, trilobo, lobis lateralibus minoribus; tubo calycem vix superante.

Stam. filamenta duo transversim pedicello infernè latissimo affixa. Antheræ luteæ sub labio superiori corollæ reclusæ.

Pist. Germen depressum, quadrifidum. Stylus filiformis, arcuatus, labio superiori corollæ incumbens, illoque longior. Stigmata duo, acutissima, aliud alio brevius.

Semina quatuor, ex quibus nonnulla sæpe abortiva, nuda in fundo calycis, lævia, fusca, subrotunda, hinc convexa, inde medio uniangulata.

Hab. in pascuis et ericetis prope *Vidigueira*, et inter Pacem-Juliam et Myrtilem, atque alibi in Transtagana. Floret vere usque ad Junium. Perennis.

Usus ignotus.

Obs. Nimis affinis S. *Æthiopidi* ita, ut nonnunquam varietas ejus existimata sit, attamen differt caule, ramis et calycibus villosis nec lanatis, corolla duplo ferè maiori, et bracteis summis absque floribus.

VERONICA *Lusitana.*

Lusit. *Veronica Teucrieta.*

V. racemis axillaribus; foliis ovatis, rugosis, grosse acuteque serratis, hirtis, subsessilibus; caule erectiusculo undique hirsuto; calycibus quadripartitis, corolla maioribus; capsulis profunde emarginatis, calyce brevioribus.

V. *Teucrium.* Brot. Flor. Lusit. Tom. I. pag. 13-14.

V. *micrantha.* Link et Hoffm. Flor. Lusit. T. I. pag. 286-87.

Radix perennis, tenuis, lignosa, ramosa; ramis multifibratis.

Caulis sæpe solitarius adscendens, aut erectiusculus, interdum ad basin reptans, teres, undique circum circa hirsutus, septem ad uncias decem longus, racemis supputatis, ad apicem ramosus, racemosus.

Folia opposita, ovato-cordata, grosse acuteque serrata, rugosa, venosa, hirsuta, sessilia seu brevissime petiolata; petiolo vix ultra linam longo, lamina tredecim ad quindecim lineas longa, decem lata.

Racemi axillares erecti, plerumque oppositi, 5 ad 7 uncias longi; flores subconferti, alterni, pedunculati; pedicellis vix lineam longis. Bracteæ sublineares, seu lineari-lanceolatæ, nervosæ, integerrimæ, villosæ, pedicellis longiores, calyce autem breviores.

Calyx persistens, sæpe quadripartitus, laciniis subæqualibus, lanceolatis, acutis, nervosis, rugosis, hirsutis, ad tres lineas longis.

Corolla alba, annulo faucis purpurascente, calyce paulo brevior; limbus quadripartitus, laciniis ovatis, latitudine subæqualibus, extus ad apicem pubescentibus; tubus brevissimus.

Stam. filamenta duo alba, adscendentia: Antheræ cordatæ, purpureæ.

Pist. Germen compressum. Stylus declinatus, purpurascens, staminum longitudine. Stigma simplex.

Capsula compressa, profunde emarginata, obcordata, margine acutato, bilocularis, laciniis paulo brevior, quæ post florescentiam ex-

VERONICA *Lusitana*.

crescunt, et tandem 4 ad 5 lineas longæ, lineam ad sesquilineam latæ sunt.

Semina plurima, subrotunda, deplanata.

Habit. in umbrosis silvaticis, et uliginosis circa Conimbricam, præsertim prope Cænobium Divi Antonii Montis Olivarum, et alibi in Beira, sed ibi infrequens. Floret Maio et Junio. Perennis.

Planta amaricans, et viribus Veronicæ *officinali* similis, et pro illa usitata, sed debilior.

Obs. Culta in hortis, et inculta in locis fertilibus non opacis, interdum variat caule adscendente, calyce in anthesi æquali corollæ, aut parum breviore, quinquepartito, lacinia quinta minima ferèque obsoleta; inde species parum distincta esse videtur a V *Teucrio* V. *montana* et *prostrata*, quibus nimis affinis.

GRATIOLA *linifolia.*

Lusit. *Graciosa do Reino.*

Gr. foliis oppositis, sessilibus, lanceolatis, integerrimis; pedunculis axillaribus, solitariis, foliorum sæpe longitudine.

Gr. officinalis *(ut varietas)* Brot. Flor. Lusit. P. I. pag. 15.

Gr. linifolia. Vahl. Enum. I. pag. 89.

Gr. linifolia. Link et Hoffm. Fl. Lusit. pag. 225. Tab. 31.

Gratiola alia, Lusitana, pituitam ac bilem supernè et infernè vehementer purgans. Grisl. Vir. Lusit. N.° 628.

Digitalis linifolia, Lusitanica, palustris. Tourn. I. R. H. pag. 165.

Radix perennis, calamum scriptorium fere crassa, subgeniculata, albida, obliquata, aut interdum fere verticalis; fibrillis subramosis.

Caulis adscendens (in herbosis erectus) cylindraceus, simplex, glaber. Rami perpauci, alterni, erecti.

Folia opposita, sessilia, semiamplexicaulia, acuta, angustè lanceolata, trinervia, glabra, sæpe integerrima, interdum uno aliove dente prope apicem instructa.

Flores axillares, solitarii. Pedunculi erecti , foliis æquales aut vix longiores.

Calyx quinquepartitus; laciniis sublinearibus, acutis, erectis, persistentibus; interdum basi uno aliove foliolo auctus.

Corolla monopetala , inæqualis, fere labiata: tubus albus, calyce paulo altior: limbus e purpureo albus, glaber, intus ad faucem pubescens, quadripartitus, lacinia superiore latiori, emarginata, reflexa, tribus inferioribus subæqualibus, rotundatis.

Stam. filamenta quatuor, corolla breviora, quorum duo inferiora breviora, sterilia. Antheræ subrotundæ.

J. C. R. Sculp.

GRATIOLA *linifolia*

Pist. Germen superum, conicum: stylus rectus, subulatus: stigma bilamellatum, post fæcundationem connivens.

Peric. Capsula conica, bilocularis, bivalvis, polysperma. Semina plurima, parva.

Habitat in humentibus et inundatis ad Mundam, Durium, et Vaccam, vulgò *Rio Vouga*, in Beira. Floret Junio, Julio, Augusto. Perennis.

Obs. Tota planta inodora est, sed valde amara et nauseosa. A pecoribus respuitur. Viribus medicamentosis Gratiolæ *officinali* omnino similis.

ORCHIS *longicruris.*

Lusit. *Flôr dos rapazinhos ou dos macaquinhos dependurados.*

O. nectarii labio inferiori oblongo, quadripartito, laciniis linearibus, duabus extremis protensioribus cum mucrone longo interjecto; petalis ovato-lanceolatis, acutissimis, distinctis, conniventibus, apice patulis, duobus internis duplo minoribus; germine labio paulo breviori, calcare autem fere duplo longiori; bracteis brevissimis; spica ovata, densissima.

O. *longicruris*, labello germinis longitudine, tripartito lævi, laciniis linearibus, intermedia bifida cum mucrone interjecto; petalis conniventibus acutis; cornu germine duplo breviore; bracteis membranaceis aristatis, germine duplo brevioribus.

Willd. Spec. Plant. Tom. 4. P. I. p. 22. Ead. Link in Schrad. Diar. bot. 779. 323.

Radix bibulbosa; bulbis solidis, indivisis, ovalibus seu ovali-oblongis, supernè sub caule unâ aliâve serie longarum simplicium radicularum filiformium comatis.

Folia radicalia procumbentia, lanceolata, lineata, glabra, integerrima, sæpe undulata, basi caulem vaginantia, tres, quatuorve uncias longa, decem ad quindecim lineas in medio lata. Caulina pauca, duo triave, minora, lanceolata, alterna, erecta, sese et caulem vaginantia.

Caulis annuus, cylindraceus, glaber, erectus, quinque ad octo uncias altus.

Fores plurimi, sessiles, in spicam ovatam, atque fere conicam, ad uncias duas aut paulo ultra protensam, arcte congesti. Bracteæ minimæ, germine florum quadruplo et ultra breviores, sæpe dilute purpurascentes, acutæ, nonnullæ interdum truncatæ, seu apice erosæ.

Calyx nullus.

Corolla pentapetala; tribus superioribus externisque petalis æqualibus, ovato-lanceolatis, acuminatis, lineatis, concavis, subpurpureis,

J. G. R. Sculp.

I. ORCHIS *longicruris*. | II. OPHRYS *tenthredinifera*

quinque sexve lineas longis, conniventibus, basi tamen distinctis, apice patulis; duobus internis formâ similibus, sed duplo minoribus.

Nectarii labium superius (seu aliis columna gynandra) petalis internis, quibus subjacet, brevius, obtusum, erectiusculum, purpurascens. Labium inferius propendens, oblongum, germineque paulo longius, dilute roseum, punctis purpureis maculatum, quadripartitum, laciniis linearibus integerrimis, duabus extremis longioribus, pauloque latioribus, mucrone ipsis interjecto valde longo, sicque pendulæ simiæ formam aliquatenus referens. Calcar, seu tubus corniculi formis, pendens, labio concolor, germine ad dimidiam tertiamve partem brevius.

Stam. filamenta duo, tenuissima, lutea, sesquilineam longa, singulum in singula vaginulâ membranacea, univalvia, labio nectarii superiori adnata, reconditum; utrumque glandulæ globosæ mucosæ infernè insertum, supernè in ramusculos plurimos, pollinis grana in congeriem subglobosam, seu antheram, coarctata ferentes, divisum: grana pollinis lutea, angulosa, solida, inaperta.

Germen inferum, sulcato-angulosum, sessile, subcontortum. Stylus brevis, qui mihi pars crassa posterior labii superioris, et stigmatis. Verum mihi stigma fornix faucis nectarii mucosus sub labio superiori, et sub glandulis, quibus staminum filamenta inseruntur.

Peric. Capsula oblonga, sulcata, unilocularis, trivalvis. Semina plurima, scobiformia, seu subglobosa, arillo scobiformi inclusa.

Habitat in collibus siccis ex Olisipone usque ad Turres-Veteres, *Cintra*, et alibi in *Extremadura* et *Beira*. Floret primo vere. Perennis.

Obs. 1.° Orchis *tephrosanthos* Willdenovii (Spec. Plant.) quæ a La Marckio (Dict. Bot. Encycl.) Orchis *simia* nominatur, huic nostræ nimis affinis, et ejus quasi varietas, sed differt petalis confluentibus, nec distinctis.

Obs. 2.° Tota planta inodora est, saporeque mucilaginoso prædita. Ejus bulbi, uti etiam alii Orchidearum Europæarum, naturâ viribusque Salep orientali similes sunt, atque extra omne dubium pari successu, sive ut alimentum sive ut medicamen, ei substitui possunt. Orchideos bulbos ab orientalibus, antequam caulis floreat, colligi ferunt; sed apud nos optimum eos colligendi tempus illud cùm seminibus jam formatis caulis marcescere incipit, tunc enim novi bulbi, qui unicè in usum avellendi, suam plenitudinem perfectam adepti sunt, et a veteribus marcescentibus satis benè dignoscuntur. Avulsi frigida lavantur aquâ, deinde in ferventi aliâ injiciuntur, unde illico extrahuntur, et eorum cuticula ope linteoli rudis detergitur; postea in patena dispersi in furnum pistorium introducuntur, ubi per quinque ad octo minuta retinentur; exinde in conclavium transferuntur, et ibi per aliquot horas soli exponuntur usque dum tandem omnino sic-

cescant, indurescant et pellucitatem quasi cornu politi adipiscantur. Nonnulli pharmacopolæ eos semicoctos, vel in aqua calida per aliquod tempus retentos, exinde pelle expurgant, filo transigunt, et sic instar monilis soli exponunt usquequo siccentur et indurescant. Secundum Clariss. Percival etsi eorum cuticula non separetur, nec ideo saporis et salubritatis aliquid deperdunt.

Obs. 3.° In Orchideis structura florum singularis, insolita et ab illa reliquarum plantarum summopere diversa est; idcirco a Botanicis diverse intelligitur et explicatur, uti jam Tom. I. pag. 103 et seq. retulimus. Nos in istius et sequentis generis speciebus describendis cum Linnæo earum flores corolla quinquepetala, nectario bilabiato, staminibusque duobus præditos esse asserere non dubitamus. Alii eorum florum corollam ut subringentem et hexapetalam considerant, cujus superiora petala quinque, vel ex his nonnulla, sæpius conniventia, distincta aut confluentia, pro galea, pro petalo autem sexto, seu corollæ labio, inferius nectarii labium a Linnæo admissum reputant, et ejusdem nectarii superius labium columnam gynandram, seu genitalium utriusque sexus, appellant; sic quamvis aliis ad arbitrium terminis utantur, cum eadem tamen in se essentialia enuntiant, facillimum assensum conciliaverunt. Alii tam in his, quam in plerisque Orchidearum generibus unicam tantummodo antheram, et hanc bilocularem, nectarri superiori labio innatam esse censent; antheras autem duas, a Linnæo sic dictas, nonnisi duo pollinis receptacula in duobus contenta loculis, antheramque ad unam eandem sessilem attinentia, esse contendunt; quapropter plantas Orchideas Monandras esse affirmant. Hoc, ut videtur, indicatum, quippe quòd naturæ scopus antheras biloculares potiùsquam uniculares formare sæpius sit, atque ex analogia antherarum Orchidearum cum antheris aliquarum Tribuum sessilibus et bilocularibus. Attamen in Orchidearum floribus, (nostrarum saltem) pollinis receptacula ab omnibus aliarum Tribuum vegetabilium tali anomalia differunt, ut non satis probatum adhuc, an ea unicam tantùm antheram bilocularem bivalvem anomalam constituant, quàm duas antheras uniloculares univalves anomalas, seu an ea potius unica anomala anthera, quàm duæ anomalæ dicenda sint; et enim verò in antheris florum alius cujuscunque Tribus, tam sessilibus bilocularibus quàm aliis, pollinis granula loculorum dissepimento aut parietibus ipsorum granulorum receptaculo vero, longitudinaliter innascuntur atque adhærent; at in Orchidearum floribus nostrarum pollinis granula a prædictis loculorum partibus, quibus continentur, libera omnino sunt, et duorum filamentorum summitatibus ramulosis, quarum ramuli in racemuli subglobosi, seu clavæformis plus minusve subdividi solent, innascuntur atque adhærent: ex duobus istis filamentis, ut supra dictum est, singulum cuidam glandulæ pistilli globosæ insidet, et per ipsam nutritur insimul cum suo racemulo pollinifero, donec tandem in istius plena maturitate venereo excitatur æstro, loculi membranam subtus findit, ex illo elastice erumpit, deorsum curvatur, congeriemque pollinis clavatam stigmati madido applicat, ut ex granulis solidis inapertisque sperma exsudatum ab ipso

absorbeatur, seminibus deinde deferatur, ipsaque fecundet. In nostris tamen Orchideis interdum evenire fateor, ut stamina vehementi elaterio convulsa longe a cellulis vix dum apertis exsiliant, aut contrà, ut ex istis non exeant, et ibi diu inclusa sint usque adeo donec marcescant; at in primo casu seminum fecundatio nulla est, ac ideò stigma diutissimè post exsultas longè antheras mucosum persistit; in secundo autem fecundatio seminum ita imperfecta est, ut vix ulla maturescant, tunc posteaquam antherarum granula cum suis cellulis siccescunt, stigma madorem suum diu adhuc servat, sicut ex nuperrimè observatis agnovi. In nostris Orchideis seminum fecundatiora nobis visa sunt illa, quæ ab staminibus ex suis cellulis eruptis, curvatis, antherisque suis stigmati madido applicatis vel quæ a quamplurimis ipsi stigmati ejaculatis granulis per antheras, sicut quampluribus regularibus mos est, fecundata fuere, et huic nec alteri fini naturam ejusmodi staminibus elaterium eorumque cellulis aperturam dedisse videtur.

Ex his equidem colligitur antheras florum in Orchideis nostris structura frui peculiari anomala, atque ab omnibus aliis quibuscunque aliarum Tribuum vegetabilium antheris diversa; sed ex hujusmodi structura unicam in ipsarum floribus antheram bilocularem sessilem dari non demonstratur, cum pollen nulli dissepimento, nullibique locorum duorum membranis adhæreat: dantur ibi re verâ duo pollinis receptacula, sed ista ad unam eandem antheram non attinent; nam ejusdem nec dissepimentum nec loculorum membranas constituunt, sed duo filamenta tantummodo sunt, ab istis penitus libera, et in plurimos ramulos polliniferos in apice subdivisa; cùm vero antheræ a filamentis, cum dantur, apice polliniferis supputentur, antheras igitur potius duas anomalas, quam unicam, Orchideis nostris tribuere, istasque potius diandras, quàm monandras, dicere cum Linnæo, quidquid aliis placeat, prosequemur.

Obs. 4.° In hac et nonnullis aliis hujus sequentisque generis speciebus bulbi sæpe duo approximati, subglobosi aut ovales, brevissimo filo sub caulis basi adhærent et ab illo pendent. Ex his alter vetus est, anno scilicet immediate anteacto productus, alius vero novissimè evolutus; uterque infernè omnino arhizus, supernè longis radiculis filiformibus é basi caulis circumnatis comatus. Transacto vere, et vetus bulbus et caulis cum radiculis omnibus siccescunt, ac penitus, superstite tantùm novo bulbo, pereunt. Post aquas æquinoctiales, Octobri aut Novembri, novus iste bulbus ex apice suo, seu ex suo hilo gemmaceo, intra filum siccum, quo cauli olim adhærebat, radiculas primodum extrudere sensim incipit, deinde in hyeme et vere folia et caulem; tunc insimul secundus alter novus bulbus ex caulina basi evolvitur sat veteri similis, qui cum illo radiculis basilaribus caulis coronatus vegetat, ei ad posterum usque annum supervivit, et pari modo progerminat, ac sobolem novam profert. Utrum hæc radicalia solide carnosa corpora bulbis potius, quam tuberibus annumeranda, usque adhuc indeterminatum. Tam in bulbis, quàm in tuberibus, permultæ gradationes a natura stabilitæ, et earum metæ nondum a Botanicis generali assensu perfecte definitæ sunt; recen-

tiores nonnulli radicalia illa corpora, de quibus hîc agitur, a bulbis separant et tuberibus conjungunt, cùm ex apice primodum, nec ex basi, radiculas trudant, ideoque plùs tuberibus quàm bulbis regularibus affinia esse censent; alii cum Linnæo ea bulbis annumerant; nos illa etiam pro bulbis habere prosequemur, sed istos ut irregulares et fibrillis caulis basilaribus comatos consideramus.

Obs. 5.ª Orchidearum semina in Lusitania, sicut alibi, sive ex fecundationis perfectæ, sive ex sufficientis in capsulis nutriminis defectu, sive ex aliavis causa, difficillime ulla tantùm, aut interdum nulla germinant; nonnulli hortulani, qui hoc defectui nutriminis imputant, ut illa vegetiora evadant, ac plura germinent, novum bulbum primo vere vix evolutum resecare suadent; alii has stirpes in Caldariis, aut in ollis penitus terræ intrusis colunt.



I. ORCHIS *papilionacea rubra* | II. OPHRYS *labrofossa.*

ORCHIS *papilionacea rubra.*

Lusit. *Herva borboleta.*

Orch. nectarii labio indiviso, latissime ovato, rotundato, nec emarginato, denticulato; petalis ovato-lanceolatis, acutis, laxe conniventibus aut erectis; calcare infernè crassiore, germine breviore; bracteis membranaceis, coloratis, germine longioribus.

Orch. *(rubra)* labello obovato, indiviso, crenato; petalis nervosis, erectis; cornu conico, germine breviore; bracteis membranaceis coloratis, germine longioribus.

Willd. Sp. pl. T. 4. *P.* 1. *p.* 24.

Orch. *(rubra)* bulbis indivisis; nectarii labio indiviso crenulato ampliato; cornu subulato; petalis erectis.

Jacq. Icon. Pl. var. I. Tab. 183. *Collect. I. p.* 60.

Radix bibulbosa. Bulbi indivisi sunt, subrotundi, approximati; ex radicula filiformi brevi, é basi caulis exorta, propendent, atque aliis longioribus ex eadem caulina basi protrusis supernè instructi sunt.

Caulis annuus, simplicissimus, erectus, teres, glaber, quinque ad octo uncias altus, duobus tribusve foliis lanceolatis vaginatus, et ipsis fere undique obtectus. Folia radicalia quatuor quinqueve caulis basin vaginantia, caulinis maiora, lanceolata, acuta, recurvata, nonnulla interdum subundulata, nervosa, carinata, supra canaliculata, utrinque glabra, viridia, tres quatuorve uncias longa, novem ad undecim lineas in medio lata.

Flores terminales, quinque ad septem, in spicam ovatam dense congesti. Bracteæ membranaceæ, dilute purpureæ, lanceolatæ, acutæ, nervosæ, carinatæ, concavæ, germine longiores, flore autem breviores.

Calyx nullus. Corolla pentapetala, purpurea, aut interdum subviolacea; petalis omnibus distinctis, laxe conniventibus, tribus exterioribus ovato-lanceolatis, acutis, nervosis, duobus lateralibus paulo latioribus pauloque longioribus; interioribus duobus lanceolatis, angustioribus, vix brevioribus.

NECTARII labium superius, seu aliis columna gynandra, erectum purpureum, petalis fere triplo brevius, acutum, postice convexum. Labium inferius dependens, unilobum, maximum, plus latum quàm longum, magnitudine unguis pollicis, rotundatum, sæpe absque ulla emarginatura, denticulatum, denticulis tantum perpaucis obtusis, dilute purpureum, et venis punctisque purpureis variegatum, ad basin valde attenuatum, sicque quasi flabelliforme: calcar leviter arcuatum, infernè crassius, germine dimidio brevius, raro illius fere longitudine.

RELIQUA Generis.

HABITAT in humidiusculis circa *Setubal*, in Arrabida, et alibi trans Tagum. Floret primo vere. Perennis.

USUS bulborum pro Salep substituendo.

OBS. Nectarii labium inferius in hac nostra planta etsi sæpe tota ora marginali nec emarginatum nec retusum, sed tantummodo undique denticulatum seu crenatum sit; interdum tamen emarginatura quadam parva obsolete mucronata donatur; quapropter illam uti Orch. *papilionaceæ* varietatem consideramus.

ORCHIS *coriophora symphypetala.*

Lusit. *Herva porsobeja.*

Orch. labello inferiori nectarii pendulo, trifido, laciniis lateralibus crenatis, intermedia longiori, integerrima; petalis ovato-lanceolatis, acuminatis, conniventibus, tribus superioribus ad medium coalitis, binis interioribus solutis, brevioribus; calcare conico, arcuato, et germine breviore.

Orch. *coriophora*, labello tripartito, laciniis inæqualibus, crenatis, dependentibus; petalis conniventibus; cornu conico, adscendente germine triplo breviore.

Willd. Spec. plant. Tom. 4. Pars. I. pag. 16.

Orch. odore hirci minor.

C. Bauh. Pin. 82. et Vaillant Bot. Paris. Tab. 31. fig. 30, 31, 32.

Radix bibulbosa: bulbi subsessiles, indivisi, parvi, subglobosi, aut obovato-subrotundi, supernè ad caulis originem nonnullis radiculis filiformibus longis coronati.

Caulis annuus, simplicissimus, teres, viridis, erectus, totus foliosus, quinque ad octo uncias altus.

Folia radicalia quinque ad septem, angustè lanceolata, acuta, suprà canaliculata, subtus carinata, vaginantia caulis basin, glabra, viridia, patentia, quatuor uncias aut paulo ultra longa, sex lineas ad novem in medio lata; caulina similia, sed minora, atque versus apicem caulis decrescentia, alterna, erecta.

Flores saturate purpurei, aut interdum ex viridi purpurascentes, in spicam sesquiunciam ad tres uncias, aut paulo ultra, longam densè congesti. Bractea sub singulo lanceolata, acuminata, sessilis, viridis, germinis basin amplexans, ipsoque vix longior in floribus infimis, in aliis brevior.

Calyx nullus. Corollæ petala quinque purpurascentia, erecta, contigua; tria exteriora paulo infra apicem coalita, lateralia ovato-lanceolata, acuminata, intermedia angustior; bina interiora soluta, lanceolata, breviora, angustiora.

Nectarium purpureum; labium superius, seu columna gynandra, petalis interioribus fere dimidio brevius, convexo-concavum, acutiusculum, erectum, stamina lutea tegens. Labium inferius pendulum calcare dimidio brevius, ad faucem punctis saturate purpureis pictum, trifidum, laciniis acutis, lateralibus crenatis, intermedia parum longiore, integerrima. Calcar conicum, arcuatum, germine paulo brevius.

Pist. Germen tricostatum, contortum, apice valde attenuatum, cernuum.

Reliqua ut in Genere.

Habitat in collibus calcareis, et locis interdum subhumidis, prope *S. Pedro Dias* circa Conimbricam, in montibus quoque de *Cintra*, *Monsanto* circa Olisiponem, et alibi in Beira et Extremadura. Floret mensibus vernis. Perennis.

Sapor totius plantæ herbaceus. Flores odore quasi cimicis fetent.

Usus radicis pro Salep.



1. ORCHIS *cordata*. 2. OPHRYS *apifera subterrostrunca*.

ORCHIS *cordata.*

Orch. nectarii labio inferiori apice trifido, calcare brevissimo, scrotiformi; floribus spicatis, laxis, secundis; petalis conniventibus; bracteis lanceolatis, germine vix longioribus; caule diphyllo, foliis cordatis, acutis, alternis, basi petioliformi vaginante.

Orch. *cordata.* Willd. Spec. Plant. Tom. 4. Pars. I. pag. 25-26.

Satyrium *diphyllum.* Link in Schred. Diar. Bot. 1799. p. 323.

Idem. Brot. Flor. Lusit. Tom. I. pag. 22.

Radix bulboso-comosa; bulbi bini, indivisi, ovato-subrotundi, supernè radiculis flexuosis, é basi caulis exortis, comati.

Caulis teres, filiformis, striatus, simplicissimus, glaber, erectus, semipedalis, aut parum longior, basi squamis alternis vaginatus, supernè diphyllus.

Folia alterna, cordata, basi petiolari vaginantia caulem, acuta, quinquenervia, glabra, patula, integerrima.

Spica terminalis; flores laxi, secundi, arcuati, sessiles. Bractea sub quovis flore lanceolata, acuta, lineata, viridis, glabra, erecta, germine parum longior, petalis autem exterioribus paulo brevior.

Calyx nullus. Corolla pentapetala, purpurascens. Petala subæqualia, lineari-lanceolata, erecta, conniventia, tres fere lineas longa, marcescentia.

Nectarii labium superius, seu galea gynandra, ovale, obtusum, petalis fere dimidio brevius, saturate purpureum, stamina lutea tegens: labium inferius dilute purpureum, deflexum, germine paulo brevius, planum, sensim ad apicem dilatatum, ibique trifidum, laciniis æqualibus, acutis, sublanceolatis, integerrimis; basi bursa brevissima scrotiformi postice instructum.

Stamina et Pistillum ut in Genere.

Capsula ovoidea, brevis, striata, sæpe corollâ nectarioque arescentibus coronata.

Habitat in silvis ex *Arrabida* usque ad *Azeitão*.

Floret mensibus vernis. Perennis.

Planta inodora, sapore herbaceo.

Usus bulborum pro Salep.



I. ORCHIS *conica.* II. OPHRYS *aurita.*

ORCHIS *conica.*

Orch. labello inferiori tripartito, laciniis denticulatis, lateralibus sublinearibus, intermedia obovato-elongata, emarginata; petalis conniventibus, tribus exterioribus valde longioribus, ovato-lanceolatis, acuminatis, aristatis; calcare germine breviore; spica densa conica; foliis lanceolatis.

Orch. *conica*, labello tripartito, lacinia media elongata, apice dilatata emarginata; petalis conniventibus aristatis; cornu germine breviore; spica densa conica; foliis ovatis. Willd. Sp. Pl. Tom. 4. Pars. I. p. 14.

Orch. *globosa.* Brot. Flor. Lusit. Tom. I. pag. 18.

Radix bibulbosa; bulbi ex ovato-oblongi, quandoque quasi fusiformes, supernè ad caulis originem nonnullis radiculis filiformibus coronati.

Caulis simplicissimus, teres, glaber, viridis, erectus, foliosus, quatuor ad septem uncias altus.

Folia radicalia quinque sexve, et in omnibus individuis, quæ mihi observare contigit, semper oblongo-lanceolata acutaque, nervosa, integerrima, viridia, carinata, glabra, alia ex patenti-procumbentia, alia patula, seu erectiuscula, laminis semiunciam ad fere unciam in medio latis, tres ad quatuor uncias longis; petiolis dilatatis, caulis basin vaginantibus. Caulina pauca, similia, sed sessilia, appressa, minora, et sursum sensim decrescentia.

Flores ex albido-purpurei, alterni, sessiles, in spicam terminalem, sesquiuncialem et ultra, obtusè conicam, aut acutè conicam, densè congesti, bracteis interstincti. Bracteæ lanceolatæ, acuminatæ, virides, sessiles, germinis arcuati basin ferè amplexantes, illo parum longiores, flore autem breviores.

Calyx nullus. Corollæ petala conniventia, tria exteriora lanceolata, acuminata, aristata, nervosa; duo interiora anguste lanceolata, acuminata, dimidio exterioribus fere breviora.

Nectarii labium superius, seu columna gynandra, ovatum, acutum, intus concavum stamina tegens, extus convexum, petalis internis brevius. Labium inferius reflexum, germine brevius, planum, punctis saturate purpureis pictum, tripartitum; laciniis omnibus apice

denticulatis, duabus lateralibus angustis, sublinearibus, obtusis, intermedia latiore, obovata, emarginata, sæpe cum brevissimo mucrone in emarginatura. Calcar gracile, germine paulo brevius.

Reliqua ut in Genere.

Habitat circa *Bellas*, prope *Cintra*, et alibi in Extremadura. Floret vere et æstate. Perennis.

Inodora et sapore herbaceo prædita.

Usus bulborum pro Salep.

Obs. Nimis affinis Orch. *globosæ*, *acuminatæ*, et *lacteæ*: sed differt a *globosa* labio inferiori nectarii non resupinato, ejus laciniis lateralibus denticulatis, spica conica, et calcare fere germinis longitudine. Differt ab *acuminata*, foliis radicalibus non ellipticis obtusis, sed lanceolatis acutis, labelli inferioris laciniis lateralibus denticulatis, nec integerrimis, intermedia sæpe emarginata, nec sæpe rotundata absque ulla emarginatura, prout depicta in *Tab.* 247. Desfont. Flor. Atlant. Differt etiam ab Orch. *lactea (La Marck Dict. Bot. Encycl. Tom.* 4. *p.* 594, quæ ex Clar. Poiret eadem est cum Orch. *acuminata)* foliis radicalibus non ovatis obtusis, labelli nectarii laciniis lateralibus denticulatis, nec integerrimis: attamen tam ista quàm *acuminata* fortasse ad nostram uti varietates amandandæ.



J. C. B. Sculp.

ORCHIS *latifolia* *labrovaria*

ORCHIS *latifolia labrovaria.*

Orch. nectarii labio inferiori obovato-subrotundo, denticulato, lateribus reflexo, apice brevissime subtrilobo; petalis superioribus acutiusculis, conniventibus, lateralibus binis parum longioribus reflexiusculis; calcare germine fere dimidio breviore; bracteis lanceolatis, flore longioribus; caule folioso, fistuloso.

Orch. *sesquipedalis*, labello obovato, lateribus reflexo, emarginato, dentato; petalis superioribus acutis, conniventibus; cornu cylindraceo, germen subæquante; bracteis lanceolatis, flore longioribus. Willd. Spec. Plant. Tom. 4. Pars 1. pag. 30.

Orch. *latifolia.* Lin. et Brot. Flor. Lusit. Tom. I. pag. 21.

Orch. palmata, pratensis, latifolia, longis calcaribus.

C. Bauh. Pin. 85, et Vaill. Bot. Paris. Tab. 31. fig. 1, 3, 4, 5.

Radix bibulbosa, supernè ad caulis originem radiculis longis albis filiformibus coronata; bulbi palmati, crassi, albi, tetradactyli, digitulis infernè acutis, demum radicula longa terminatis.

Caulis foliosus, squamis albidis vaginantibus ad basin tectus, simplicissimus, erectus, angulosus, glaber, fistulosus, pedalis, sesquipedalis, et nonnumquam altior.

Folia alterna, vaginantia, late et longe lanceolata, nervosa, carinata, patula, nonnulla apice cernuo, pendulove, læte viridia, immaculata.

Flores purpurascentes, alterni, in spicam speciosam, quinque ad octo uncias longam, congesti; germine patulo, leviter recurvo, viridi, sessili. Bractea sub singulo flore ipso longior, sessilis, germinis basin amplexans, lanceolata, acuminata, nervosa, carinata, erecta, viridis.

Calyx nullus. Corollæ petala tria superiora lanceolata, acutiuscula, conniventia; duo lateralia parum longiora, lanceolata, acuta, patula, patentia, aut demum leviter reflexa.

Nectarii labium superius, seu columna gynandra, saturate purpureum, petalis superioribus dimidio et ultra brevius, stamina lutea tegens. Labium inferius obovato-subrotundum, purpureum, punctis

lineisque saturatioribus pictum, ora marginali inæqualiter denticulatum, lateribus reflexum, apice sæpe tribus lobulis minimis terminatum, quorum intermedius ad sesquiliniam longus, vix ac nec vix lateralibus longior, nunc crenatus aut obsolete emarginatus, nunc obtusus edentulus: in hujus labelli apice rarissime lobulos tantummodo duos brevissimos cum emarginatura minima inter ipsos mihi observare contigit. Calcar obtusum, supernè latius, sæpe germine dimidio brevius, raro tantummodo in infimis spicæ floribus ipsius ferè longitudine.

Reliqua ut in Genere.

Habitat in uliginosis, et pratis humidis prope Conimbricam, circa *Setubal*, et alibi in Beira et trans Tagum. Floret vere. Perennis.

Planta inodora, sapore fatuo, et vix in foliis leviter amaricante.

Obs. Orchis *sesquipedalis* Celeb. Willdenovii (Spec. Plant.) nonnisi hujus varietas est, et phrasis specifica, quam ipsi apposuit, ex spiciminis sicci floribus variantibus, aut forte imperfectis, é Lusitania ad eum missi, desumpta esse videtur.

OPHRYS *tenthredinifera.*

Oph. caule subnudifolio; labello germinis longitudine, aut vix breviore, obcordato-bilobo, emarginato cum appendicula sursum versa, disco villoso; petalis patentibus, distinctis, exterioribus tribus subovalibus, binis interioribus brevissimis, acutis, ovatis; bracteis germine longioribus; bulbis subrotundis.

Oph. *(tenthredinifera)* caule folioso, labello villoso obovato bilobo appendiculato, petalis patentibus, tribus exterioribus oblongis obtusis, binis interioribus brevissimis. *Willd. Spec. Plant. Tom.* 4. *pag.* 67.

Oph. *(insectifera A. rosea)* labello villoso oblongo-obovato, apice bilobo appendiculato. Desfont. Fl. Atlant. T. 2. pag. 320.

Oph. *(arachnites)* folia caulina oblongo-lanceolata. Bracteæ floribus multo longiores. Petala tria exteriora oblonga obtusa, interiora duo acuta purpurea. Labii laciniæ laterales obsoletæ, media rotundata emarginata, appendice carnosa in emarginatura fusca, ambitu flava, apice villosa. *Link in Schrad. diar. bot.* 1799. 2. *p.* 325. Excludenda ab Oph. *aranifera* Clar. Willdenovii, et ad hanc nostram amandanda.

Radyx bulboso-comosa; bulbis indivisis, subglobosis, solidis, binis, eorum uno vetere alio novo, utroque supernè sub caule radiculis longis, simplicibus, flexuosis, filiformibus, comato.

Folia radicalia in orbem procumbentia, tria, quatuor, quinqueve, sessilia, acutiuscula, lanceolata, aut interdum fere elliptica, utrinque glabra, integerrima, duas ad tres uncias longa, octo ad undecim lineas in medio lata, nervosa, supra canaliculata, subtus carinata. Inferiora caulis similia, sed minora, ipsum vaginantia, erecto-patula.

Caulis annuus, teres, glaber, erectus, simplicissimus, tres ad septem uncias altus, spica supputata, paucifolius, sæpe uno aliove folio tantùm prope basin vaginatus.

Flores spicati, quinque ad septem, laxi. Bracteæ lanceolatæ, concavæ, erectæ, inferiores virides, superiores roseæ, sive purpureæ, omnes germine longiores, corollæ interdum æquales.

Calyx nullus. Corollæ petala supera distincta, rosea, aut purpurascentia, nervosa; tria exteriora oblongiuscula, obtusa, fere elliptica

patentia, demum reflexa; bina interiora ovata, acutiuscula, erecta, exterioribus triplo breviora.

Nectarii labium superius, seu columna gynandra, arcuatum, apice obtusum, pallide roseum, petalis internis paulo longius. Labium inferius sæpe germine paulo brevius, petalis exterioribus longius, suprà ad faucem excavatum et ibi lineis roseis pictum, convexum lateribus subterflexis, in ambitu flavum, in centro fuscum villosumque, infernè latius, rotundatum, emarginatum cum appendicula carnosa sursum versa in emarginatura instructum sicque obcordato-bilobum apparet; subtus glabrum, sordide flavum, concavum, supernè ad faucem nectarii utrinque callosum.

Reliqua ut in Genere.

Habitat in collibus calcareis in Arrabida, et circa Olisiponem et alibi in *Extremadura.* Floret Februario, Martio et Aprili. Perennis.

Planta inodora, sapore mucilaginoso prædita. Bulbi pro Salep orientali substituendo a nonnullis pharmacopólis leguntur et præparantur.

Obs. Ophr. *aranifera* et Ophr. *arachnites* Willdenovii (Spec. Plant.) huic nostræ nimis affinis et forte varietas; nostra tamen ab utraque differt labello nectarii apice latiore, bilobo, et fere obcordato, petalis quoque interioribus ovatis, acutiusculis, nec lanceolatis aut lineari-lanceolatis.

OPHRYS *labrofossa.*

Oph. Caule subnudifolio; nectarii labio infero germine multo breviore, tripartito; laciniis duabus lateralibus oblongis, auriculæformibus, villosis, sursum deorsumque protensis; intermedia obovata, sub apice, interque subterflexa latera, fossula mucosa excavata; bracteis germine brevioribus; petalis patentibus, tribus exterioribus ellipticis, binis interioribus brevissimis, ovatis, acutis; bulbis aliis subsessilibus, aliis longo filo pendulis.

Radix perennis, bulboso-comosa; bulbis subglobosis, uno alterove ad caulis basin subsessili, duobus autem filo sesquiunciam ad quatuor uncias longo pendulis. Cuncti radiculis nonnullis filiformibus longis, simplicibus, flexuosis, é caulis basi exortis, comati sunt.

Folia radicalia quatuor ad sex, patentia, seu procumbentia, lanceolata, acutiuscula, integerrima, nervosa, utrinque glabra, ut tota planta, inæqualia, duas ad quatuor uncias longa, semiunciam ad unciam in medio lata, subtus carinata, suprà canaliculata, basi caulem vaginantia. Inferiora caulis duo ad tria similia, alterna, erectopatula.

Caulis annuus, simplicissimus, paucifolius, subteres, uno aliove angulo obsolete notatus, viridis, glaberrimus, erectus, tres ad quinque uncias altus, spica supputata.

Flores spicati, in rachi subangulata alterni, laxi, tres ad quinque, erecti, pedunculo unam ad tres lineas longo impositi. Folium florale spathæforme, lanceolatum, concavum, erectum, viride, nervosum, sessile, pedunculum, nec spicæ rachin, amplexans, germine dimidio ferè brevius.

Calyx nullus.

Corolla pentapetala; petalis tribus exterioribus patentibus, aut reflexiusculis, glabris, penitus viridibus, obtusis, ellipticis, intus concavis, marginibus revolutis, tres quatuorve lineas longis, longitudine æqualibus, medio seu supremo angustiore, ipso et lateralibus infernè solutis; duobus interioribus minimis, triplo et ultra minoribus, reflexis, ovatis, acutis, marginibus rèvolutis, suprà convexis, subvillosis, é medio ad apicem viridibus, inde usque ad basin utrinque fuscis.

Nectarium apici germinis insimul cum corolla affixum, bilabiatum.

Labium superius, aliis columna gynandra, sesquiliniam ad lineas duas longum, incurvum, convexo-concavum, apice obtusum, flavescens, infernè fuscum, dilatatum, atque cum inferiore coalitum. Faux ampla, profunda, fusca, marginibus elatis glabra nitida, ibique utrinque unidentata, brevissimâque auriculâ villosâ instructa. Labium inferius pendulum, ad faucem excavatum, ex fusco coccineum, petalis exterioribus et germine brevius, tripartitum: laciniæ duæ laterales longæ, mediæ longitudine æquales, auriculæformes, sursum deorsumque protensæ, quarum pars superior breviter conicè elata, villosa, ex flavo fusca, postice subtus concava glabraque, inferior vero pars oblonga plana acuta, antrorsum oblique versa coccinea glabra: lacinia media obovata, glabra, apice tamen subvillosa, suprà convexa, subtus concava, basique ad faucem subcarinata, carinâ in tuberculi formam, ad sesquilineam fere prominentis, abeunte; ejus apex obtusus brevissimus, absque ulla emarginatura, vel ulla appendicula, sed inter duas lacinulas laterales subter flexas, coccineas, glabras, leviter recurvus, et fossula sesquilineam lata, mucosa, uniglandulata, profunde subtercavatus.

Pist. Germen inferum, viride, sexsulcatum, sexcostatum, decem ad tredecim lineas longum, leviter reflexum, vix ac ne vix contortum. Stylus, seu pars postica dorsualis labii superioris nectarii et stigmatis, brevis. Stigma verum nectarii faucis fornix madidus postice cum stylo confusus, cujus muculentiæ quamplurima pollinis granula ab antheris elasticis ejaculata diu adhærent.

Stam. filamenta duo lutea, lineam ad sesquilineam longa, glandulis duabus globosis in apice stigmatis sitis inserta, sensim sursum versus crassiora, et singula in congeriem granulorum, seu racemulum graniferum subglobosum clavatumve terminantia; granula lutea, angulosa, solida, inaperta, racemuli ramusculis varie subdivisis adhærentia. Racemuli duo isti, antheras duas constituentes, in cellulis totidem membranaceis, sub labio nectarii superioris sitis, penitus soluti includuntur; in anthesi vero ex ipsis antice apertis elastice erumpunt, et deorsum curvati stigmati applicantur (sicuti quamplurimis staminibus stigmate altioribus mos est) ab eo spermatica fluida substantia, qualiscunque ea sit, absorbetur, unde postea ad ovula germinis exportatur, istaque fecundat.

Peric. Capsula oblonga, sexsulcata, sexcostata, unilocularis, trivalvis, angulis sub costis dehiscens.

Semina numerosa, minima, scobiformia, s. globosa, arillo scobiformi inclusa, receptaculo lineari singulæ valvulæ pericarpii affixa.

Habitat in collibus calcareis de *Monsanto*, et alibi circa Olisiponem. Floret Februario, Martio, Aprili. Perennis.

Obs. 1.° Planta non alio sapore nisi mucilaginoso prædita, et inodora est. Bulbi, ut illi aliarum Orchidearum nostrarum pro *Salep* orienta-

li substituendo leguntur ac præparantur; ferventi aqua immittuntur, ex ipsa dein illico auferuntur, et pelle expurgata calore solis aut furni siccantur.

Obs. 2.° In nostris Orchideis nullæ aliæ species nobis notæ, quæ bulbos longis filis pendulos ferant, nisi hæc, et Serapias *lingua* et *cordigera*. Hi bulbi irregulares, quos alii Botanici tuberibus annumerant, eodem modo progerminant ac novam prolem proferunt, quo bulbi approximati subsessiles. Vide Orch. *longicruris* Obs. 4.

OPHRYS *apifera subterrostrunca.*

Lusit. *Herva abelha.*

Oph. Caule folioso; nectarii labello inferiori obovato-subrotundo, convexo, quinquelobo, lobis lateralibus ovato-cordatis, patulis, extremis duobus minimis obtusis, subtus inflexis, intermedio terminali subulato, subtus pendulo retrorsumque in rostrum uncinatum recurvato; petalis patentibus, tribus exterioribus obtusis ellipticis, binis interioribus triangularibus brevissimis.

Radix perennis, bulboso-comosa; bulbi duo é filis brevibus penduli, quorum unus vetus subrotundus minor, alius duplo maior novus oblongo-ovalis, ambo radiculis nonnullis filiformibus flexuosis, é basi caulis exortis, comati.

Caulis annuus, erectus, simplicissimus, plus minusve semipedalis, teres, glaber, viridis, é basi ferè usque ad apicem foliosus.

Folia ad caulis basin plerumque tria ipsum vaginantia, lanceolata, acutiuscula, subtus carinata, supra canaliculata, utrinque viridia, nervosa, patula, tres ad quatuor uncias longa, unam in medio lata; intermedia et superiora caulis similia, sed sensim minora, acuminata, alterna, erecta.

Flores quatuor quinqueve dense spicati, magni, subsessiles, alterni. Bractea sub quovis eorum lanceolata, acuta, nervosa, viridis, sessilis, germinis basin semiamplexans, ipso longior, petalis autem exterioribus altitudine subæqualis.

Calyx nullus. Corolla pentapetala; petalis tribus exterioribus patentibus, solutis, obtusis, ellipticis, dilute purpureis, lineis tribus viridibus notatis, glabris, subæqualibus, medio vix longiore, quinque sexve lineas longis, tres quatuorve latis; duobus interioribus brevissimis, triangularibus, viridibus, solutis, patulis.

Nectarii labium superius, seu galea gynandra, tres quatuorve lineas longum, viride, rostratum, arcuatum, stamina duo lutea tegens, et ita cum staminibus aviculæ caput referens. Labium inferius lateribus reflexum, convexum, obovato-subrotundum, supra velutino-fuscum et infra medium ad faucem lineis luteolis arcuatis variatum, germine fere dimidio brevius; subtus virescens, glabrum, trilineatum: quinquelobum, lobis lateralibus duobus prope faucem bicallosam corda-

to-ovatis, acutiusculis, ferrugineis, seu ex viridi fuscis, villosis, patulis apice reflexo; lobis terminalibus duobus minimis brevissimis, obtusis, subtus inflexis, istis absque emarginatura, intermedio subulato, lutescenti, ad tres fere lineas longo, subtus recurvato, pendulo, apice uncinato.

Reliqua ut in Genere.

Habitat in collibus calcareis, pascuis, silvisque in Arrabida, et circa Conimbricam. Floret vere. Perennis.

Usus bulborum pro Salep.

Obs. 1.° Nimis affinis Oph. *apiferæ* Willd. *Spec. Plant.* et nonnisi ejus varietas mihi esse videtur. Orchys fucum referens *Vaillant* Bot. Paris. 146. Tab. 30. fig. 9. ab ista nostra non diversa. Ophrys *arachnites* (Flor. Lusit. Tom. I. pag. 23.) cum ista conjungenda.

Obs. 2.° Ophrys *apifera* pro varietate Oph. *arachnitis* antea habita nuper a recentioribus Botanicis ab ista separata fuit ob nectarii labii inferioris differentiam; Oph. *arachnites* enim differt ab illa labii apice brevissime trilobo.

OPHRYS *aurita.*

Oph. Caule folioso, paucifloro; labello inferiori nectarii trilobo, subvilloso; lobis lateralibus villosis, sursum versis, intermedio ovato, obtuso, convexo, lateribus conniventer revolutis, apice integerrimo; appendiculato; petalis patentibus, viridibus, tribus exterioribus ovatis, obtusis, duobus interioribus sublinearibus, multo brevioribus.

Radix bibulbosa; bulbi globosi, subsessiles, radiculis filiformibus é basi caulis exortis coronata.

Folia radicalia quatuor quinqueve, erectiuscula, late lanceolata, acuta, viridia, nervosa, carinata, glabra, petiolis dilatatis, caulis basin vaginantibus, quatuor quinqueve uncias longa, undecim ad tredecim lineas in medio lata. Caulina perpauca, duo triave, similia, sed sensim minora, erecta, semiamplexicaulia.

Caulis annuus, simplicissimus, teres, glaber, viridis, erectus, quinque ad octo uncias altus.

Flores quatuor ad sex terminales, alterni, recurvi, sessiles. Bracteæ lanceolatæ, acutæ, concavæ, erectæ, basin germinis amplexantes, ipso parum longiores, flore autem breviores.

Calyx nullus. Corolla reflexiuscula; petalis tribus exterioribus ovatis, obtusis, aut ovato-subrotundis, subæqualibus, medio vix angustiori et breviori; duobus interioribus sublinearibus, duplo et ultra brevioribus.

Nectarii labium superius, seu columna gynandra, ex viridi pallescens, petalis interioribus longius, concavum, stamina tegens, arcuatum, rostratum, sicque aviculæ caput referens. Labium inferius oblongum, trilobum; lobis duobus lateralibus sursum arcuatim versis, ovatis, acutis, villosis, fuscis, intermedio ovato, subvilloso, fusco, convexo lateribus glabris fulvis conniventer revolutis, prope faucem lineis exalbidis arcuatis picto, apice integerrimo, ibique appendiculato; appendicula crassa, flava, late ovata, mucronata sicque quasi triangulari, sursum reflexa. Hæc pars floris, si ex industria omnino expandatur, ovato-subrotundæ similis.

Reliqua ut in Genere.

Habitat trans Tagum in *Arrabida*, circa *Setubal* et alibi. Floret vere. Perennis.

Planta inodora, et sapore herbaceo prædita.

Usus bulborum pro Salep.

Obs. Oph. *bombyliifera* Celeb. Willdenovii (ed. Lin. Sp. plant. Tom. 4. p. 68.) huic nimis affinis, et nonnisi ejusdem varietas esse videtur.

OPHRYS *fusca.*

Lusit. *Moscardo fusco.*

Oph. *fusca*, caule folioso; radicis bulbis duobus subrotundis; nectarii labio oblongo, germine breviore, trilobo, laciniis lateralibus reflexiusculis, obtusis, brevioribus, media obovata, obtusa, villosa, fusca, profunde emarginata, inappendiculata; petalis viridibus, patentibus, tribus externis subovalibus, binis interioribus linearibus, parum brevioribus.

Oph. *(fusca)* Willd. Sp. plant. It. Link in Schrad. Diar. Bot. 1799. 2. p. 324.

Oph. *(myodes)* varietas ζ La Marck Dict. Bot. Encycl. Meth. Tom. 4. p. 572.

Oph. insectifera myodes. Lin. Sp. pl. 1343.

Oph. myodes fusca Lusitanica. Breyn. Cent. 41.

Radyx bibulbosa; bulbi indivisi, subrotundi, subsessiles, fibrillis filiformibus, flexuosis, é caulis basi protrusis, supernè instructi.

Folia radicalia caulis basin vaginantia, tria quatuorve, procumbentia, interiora erectiuscula, omnia lanceolata, viridia, glabra, integerrima, quatuor quinqueve uncias longa, semiunciam ad unciam in medio lata. Inferiora caulis similia, sed minora, ipsum vaginantia, erecta, sessilia.

Caulis annuus, simplicissimus, teres, viridis, glaber, erectus, sex ad novem uncias altus, plerumque fere nudifolius, supernè subangulatus.

Flores laxe spicati, tres quatuorve alterni, sessiles, remotiusculi, erecti. Bracteæ basin germinis amplexantes, ipsoque longiores, lanceolatæ, concavæ, erectæ, virides, floribus paulo breviores.

Calyx nullus. Corolla supera, pentapetala, viridis, expansa; petalis tribus exterioribus subæqualibus, obtusiusculis, subovalibus, nervosis, margine revolutis, supremo valde concavo, duobus interioribus linearibus, obtusis cum acumine, paulo brevioribus, omnibus infernè inter sese solutis.

Tab. 93



Ferreira delin.

I. OPHRYS *fusca*. II. OPHRYS *corniculata*.

Nectarii labium superius, seu columna gynandra, concavum, obtusum cum obsoleta emarginatura, viride, petalis internis dimidio brevius. Labium inferius nunc germine brevius, nunc æquale aut paulo longius, oblongum, obovatum, trilobum, lobulis omnibus obtusis, subvillosis, reflexiusculis, fuscis, orâ seu linea marginali obscure coccineis, duobus lateralibus brevioribus, intermedio latiore, acute marginato, inappendiculato, supra é medio disco usque ad faucem duabus maculis longis dilute fuscis glabris notato, et nonnunquam etiam aliis albis aut subcoccineis; prope faucem canaliculato; subtus viridi, glabro et sub fauce duobus callis instructo.

Staminum filamenta duo, totidem cellulis nectarii labium superius constituentibus inclusa, lutea, lineam longa, duobus glandulis globosis, in apice faucis concavæ nectarii sitis, inserta, sensim sursum versùs crassiora, et singula in racemulum graniferum clavæformem, qui vera anthera, terminata. Granula lutea subturbinata, angulosa, solida, inaperta, racemuli rachi capillari elasticæ, aut ejus ramulis adhærentia.

Reliqua ut in Genere.

Habitat in collibus calcareis circa Olisiponem, in Arrabida, et alibi in *Extremadura.* Floret vere. Perennis.

Usus bulborum, ut alii Orchidearum aliarum, pro Salep orientali substituendo.

Obs. Differt ab Oph. *lutea* et *vespifera*, quibus affinis, nectarii lobis omnibus fuscis, reflexis, nec erectis, non planis, lateralibus laxioribus nec vix fissura disjunctis. Nec ut varietas Oph. *myodis* consideranda; ab illa enim differt petalis exterioribus non lanceolatis, lobulis labii nectarii fuscis, lateralibus non lineari-lanceolatis, latiorique spatio inter sese dissitis.

OPHRYS *corniculata.*

Oph. caule folioso; nectarii labio infero trilobo, lobis lateralibus villosis, altera parte conica indivisa sursum, altera profunde sinuata deorsum versa; intermedio oblongo, convexo, lateribus conniventer revolutis, apice obtuso, integerrimo, appendiculato; petalis tribus exterioribus oblongo-subovalibus, obtusiusculis, binis interioribus brevissimis sublinearibus, acutiusculis.

Radix bibulbosa; bulbis subglobosis, alio vetustiore sensim decrescente demumque rugoso, alio juniore sensim increscente, utroque supernè radiculis filiformibus é basi caulis exortis comato.

Folia radicalia pauca, tria quatuorve, patentia, seu erectiuscula, lanceolata, acuta, subcarinata, integerrima, viridia, glabra, nervosa, basin caulis vaginantia; tres uncias aut paulo ultra longa, novem ad undecim lineas in medio lata. Caulina perpauca, duo triave, similia, sed minora, sessilia, vaginantia, erecta.

Caulis annuus, simplicissimus, teres, supernè obsolete angulatus, glaber, viridis, erectus, quatuor ad septem uncias altus.

Flores terminales, spicatì, subsessiles, quinque ad novem, alterni; recurvi, inferiores remotiusculi; rachi glabra, subangulata. Bracteæ spathæformes, basin germinis amplexantes, lanceolatæ, acutæ, concavæ, virides, erectæ, inferiores germine floribusque longiores, superiores autem germine longiores, floribus breviores.

Calyx nullus. Corolla pentapetala, patens aut reflexiuscula; petalis tribus exterioribus oblongo-subovalibus, obtusiusculis, subæqualibus, medio paulo angustiori et breviori, concavis, purpureis, nervo dorsuali viridibus, marginibus leviter revolutis, utrinque glabris, duas lineas latis quatuor longis; duobus interioribus dilute purpureis, brevissimis, triplo brevioribus, sublinearibus, basi paulo latioribus, et ibi utrinque uno puncto obscure purpureo notatis, apice acutiusculis, marginibus leviter revolutis interdum subvillosis.

Nectarium bilabiatum. Labium superius (aliter galea seu columna gynandra dictum) petalis interioribus dimidio altius, viride, infernè latius, crassius et excavatum, supernè angustius, biloculare, concavum, apice incurvo rostrato, sicque aviculæ caput quasi effingens. Labium inferius dependens, superiore duplo aut paulo ultra longius, et cum illo germinis apici intra petala adnatum, oblongum, gibboso-convexum, suprà subvillosum fuscum, subtus glabrum ex viridi flavescens,

infra medium lineis exalbidis arcuatis pictum, ad nectarii faucem crassius et ibi duobus minimis callis fuscis nitidis notatum, tripartitum; laciniis duabus lateralibus villosis, ex fusco viridibus, alterâ parte surrecta acuta conica et intus concava, altera deorsum versa latiore profunde sinuata, seu biloba, lobo uno ad faucem nectarii intorte protenso; lacinia media ovata, lateribus deorsum conniventer flexis, flavis, glabrisque, (quæ si ex industria expandantur, lacinia tunc latissime ovata redditur) apice obtuso integerrimo cum appendicula sursum versa, subovata, plus lata quàm longa, mucronata, flava, crassa, glabra.

Stam. filamenta duo lutea, sesquilineam fere longa, singulum in singula vaginula membranacea sacculi bilocularis labii superioris nectarii reconditum, et glandulæ globosæ, in summitate faucis ejusdem nectarii sitæ, insertum. Anthera obovata seu subclavata, simplex in singulo filamento; grana pollinis, lente visa, racematim congesta, rachis elasticæ pedicellis minimis adhærentia, lutea, angulosa, obovata, inaperta.

Pistillum, Pericarpium et Semina ut in Genere.

Habitat in *Arrabida*, circa Setubal, Olisiponem et alibi in Extremadura. Floret vere. Perennis.

Usus radicis pro Salep.

Variat petalis albidis.

TRIANTHERIA MONOSTYLIA.

CROCUS *autumnalis multifidus.*

Cr. foliis sex quatuorve simul cum flore prodeuntibus, linearibus, angustis, subtus bistriatis, et inde pro revolutis habitis; floribus sæpe solitariis binisve, raro ternis; corolla sæpius violacea, ad faucem villosa, laciniis tubo sæpe multo brevioribus; stigmatibus tribus longe cuneiformibus in fila tenuissima inæqualiter multifidis, penicilliformibus, antheras superantibus, corolla brevioribus.

Rhizotomis neotericis Lusitanis = *Açafram bravo* = (Crocus sylvestris). In Transtaganæ maritimis = *Pé de burro* = (Pes asininus) vulgariter appellatur; sed falsò atque nimis impropriè; nam solis Colchicis hoc vulgare nomen, olim ex radicis formâ bulbosæ unguiculo terminatæ ipsis tributum, proprie donabile, illudque tantummodò eis relinquendum. Minus impropriè, etsi inspecificè ac valde indeterminatè, a nonnullis rusticis = *Nozetas pequenas* = (Nuculæ parvæ seu avellaneæ) et ab aliis = *Cebolinhas* = (Parvæ cepæ) quo nomine omnes minores bulbos ipsi nuncupare solent, etiam vocatur.

Cr. montanus exsors odoris.
Theophr. Hist. Plant. lib. 6. cap. 7. (Vers. Gazæ).

Crocum montanum primum. Clus. Hisp. et Hist. post.

Cr. serotinus. C. Bauh. Pin. pag. 65, dum Cr. montanum I. Clus. respicit.

Cr. montanus autumnalis. I. Bauh. Hist. Plant. 2. pag. 646.

Cr. montanus autumnalis, flore purpureo, violaceo, albo.
Grisl. Virid. Lusit. N.° 1530-31.

Cr. cricetorum autumnalis flore albo et vario.
Grisl. Virid. Lusit. N.° 1532.

Cr. autumnalis, sativo similis, florum capillamentis tenuissimis, minus odoris. Tourn. Cor. 25.

Cr. autumnalis. Lin. Sp. Plant. et Brotero Flor. Lusit. Tom. I.

Cr. Serotinus, stigmatibus erectis, multipartitis; foliis cum flore prodeuntibus. Ait Hort. Kew. nov. edit. I. pag. 82. Botan. Magaz. Tab. 1267. Salisb. Parad. 30. Park. Parad. 168. N.° 4.

CROCUS *autumnalis multifidus*



Radix bulbosè perennans; bulbūs (in autumnali plantæ anthesi) duplicatus, alius scilicet alii insidens. Qui subterpositus, seu qui autumno superioris anni ex alio prodierat, maior nucis avellaneæ fere magnitudine, quamplurimis tunicis squamisque siccis, quæ olim vaginarum et foliorum bases fuerant, reticulatis, ex viridi fulvis, obtectus; harum externæ laxiores, crassiùs fibratæ, filis laceris; interiores minùs laceræ, tenuiores, quarum infima maxima, umbilico basilari bulbi adhærens, aliæ inverse infundibuliformes, sensim sursum versùs minores, bulbi lineolis circinatis pariter sensim minoribus, levissimè adhæsæ. Bulbus, omnibus suis tunicis siccis denudatus, minor quàm in *sativo*, solidus, seu tuberiformis, rotundus, quatuor quinqueve linearum diametro, desuper depressus, in medio cavatus, lineolis subfulvis circulatim pictis, sursum versùs sensim minoribus, et quasi internodiis, distinctus; interdum ad ejus latera unam aliamve gemmam minimam, seu bulbulum articulatum, emittens: infernè subplanus, permultis albis radiculis fibrosis in orbem pertusus, centro umbilicatus, ibique funiculo quodam brevi sicco instructus, hoc bulbis veteribus exsuccis emortuisque, sub lamellarum rotundarum nigrantium formâ sibi suppositis, laxe conjunctus est.

Bulbus superpositus, seu novus, subglobosus, Viciæ sativæ grano (tunicis supputatis) subæqualis, in bulbi subterpositi cavatione terminali fere semiclausus, ejusdem fibrosis fasciculis centralibus adnatus, squamulis siccis, rufulis, brevibus, ovatis, acutis, inæqualibus, laxis, foris obvallatus, basibus novarum vaginarum foliorumque albidis tunicatus, centrali parte parvulâ solidus, ibique scapiferus.

Vaginæ basi novi bulbi, simulque subterpositi apici adnatæ; aliæ extrafoliaceæ, intrafoliaceæ aliæ. Quæ folia cingunt, quatuor quinqueve, membranaceæ, tubulosæ, apice oblique truncatæ, nervosæ, glabræ, exalbidæ, sese mutuo imbricatim involventes, sensim sursum versùs longiores, suprema biuncialis, obtusa cum mucrone, striata, foliis et floribus brevior. Quæ intra folia tot quot scapi, quos cingunt, extrafoliaceis similes, sed tenuiores, albissimæ, acuminatæ, scapis pistillique germine longiores, spatha tamen floris valde breviores. Interdum, cum duo tresve flores ex bulbo prodeunt, vagina intrafoliacea exterior suum proprium scapum et insimul alias (secundam tertiamque) vaginas cum suis scapis propriis cingit.

Folia sæpissime sex quatuorve, rarissimè tria, quinque, septemve, solido novo bulbo adnata, simul cum floribus prodeuntia, et sensim sese elongantia, glabra, viridia, versus basin albida, linearia, unam lineam, vix ultra, lata, prope apicem angustiora, in eo obtusiuscula; suprà in medio subcanaliculata, atque linea albida longitudinaliter notata, lateribus marginalibus utrisque integerrima, lente tamen visa aculeolis minimis mollibus hyalinis vagis ibique instructa; subtus bistriata, seu canaliculis binis exarata ita, ut inde revoluta videantur, costâ valde compressa, utrinque dilatata et quasi alata.

In anthesi corollis breviora, et interdum eis subæqualia, scapis autem tunc et postea multo longiora; vix evaginata, et adhuc planta florente decumbentia. Si foliis Croci *sativi* comparentur similia, sed eis valde breviora.

Scapus, nisi hunc pro pedunculo radicali sumas, sæpissimè solitarius (raro duo, rarissime tres) é centro novi bulbi exortus, filiformis, obsolete trigonus, sursum sensim incrassatus, vaginâ sibi propriâ cinctus; dum sub terra albus, pollicaris, postea bi, tripollicarisve, fuscus.

Flores tot quot scapi, ideo, ut ipsi, sæpissimè solitarii.

Perianthium nullum; ejus loco spatha unica, monophylla, tubulosa, sursum sensim latior, vaginis foliorum similis, sed longior, apici scapi sub germinis base adnata, germen et corollæ tubum cingens, istoque paulo brevior.

Corolla supera, monopetala, inodora. Tubus angustissimus, sesquiunciam, duas uncias et ultra longus, (prout bulbus plus minusve sub terra latet) infernè albus, supernè sæpe violaceus, in summitate longior, ibique intus villis albis hyalinis instructus. Limbus campanulatus, sexpartitus; divisuris petaloideis, lanceolatis, acutiusculis, glabris, foris convexis, intus concavis, primùm erecto-patulis, deinde patentibus, sæpe violaceis, aut ex albo-violaceis, interdum purpureis, raro albis, exterioribus tredecim ad quindecim lineas longis, interioribus unam lineam aut paulo ultra, quàm externæ, brevioribus.

Stam. filamenta tria antheris breviora, flava, subulata, tubi villosæ summitati, sub tribus alternis corollæ divisuris, inserta. Antheræ flavæ, erectæ, filamentis adnatæ, oblongæ, lineari-sagittatæ, biloculares, utrinque longitudinaliter dehiscentes, præcociter pollinis grana flava globosa ejaculantes, corollæ divisuris dimidio ferè, stigmatibus autem unam ad tres lineas, breviores.

Pist. germen oblongum, subovale, exalbidum, obtusè triquetrum, obsoletè trisulcatum. Stylus filiformis, flavus; ejus extremum (ubi incipit in stigmata findi) corollæ tubo longius, antheris paulò brevius. Stigmata tria, inodora, flava, aliquantùm convoluta, longitudine æqualia, longè cuneiformia, infernè indivisa, ex medio, aut paulo infrà, in plura fila, seu lacinias subcapillares, inæqualia multifissa ita, ut penicilliformia videantur, antheras plus minusve altitudine superantia, corollæ divisuris inclusa, ipsisque duas ad tres lineas breviora, primum erecta, seu erecto-patula, demum reflexa, laxiora.

Peric. Capsula subovalis, trigona, trilocularis, trivalvis, polysperma. Semina plura, subrotunda, subfusca, seu ex fusco rufa.

Habitat in dumetis circa Olisiponem, trans Tagum in *Caparica*, et

alibi in Extremadura et Transtagana, præsertim in locis, qui non longè á mari absunt. Floret post aquas æquinoxiales, Septembri, Octobri, Novembri, Decembrique; sed ejus fructus nonnisi primo vere perfecte maturescit. Bulbosè perennat, bulbis sub terra tres ad quinque uncias latitantibus.

Tota planta inodora est, et vix alio, quam herbaceo, sapore donata. Usus Lusitanis non alius, quàm florum studiosis ad hortorum areas in autumno exornandas; nam stigmata, cum inodora sint, non leguntur, nec feculam ex bulbis amylaceam extrahendi praxis ulla.

Obs. Crocus *multifidus* Ramond, La Marck et aliorum, insimulque Crocus *nudiflorus* Smith nonnisi hujus nostri varietates, ex locorum situ frigidiori, vel ex habitudine, quam eo ipso adepti fuere, unde folia serius emittere solent, mihi esse videntur. Nonnulli alii Croci angustifolii, qui ab Autoribus brumales, verni, serotini, montani, etc. dicuntur, et quorum stigmata primùm brevissimè incisa, seu quasi crenata, videntur, demum vero in eorum perfecta vegetatione multifida fiunt, etiam ad nostrum amandandi. Notæ specificæ, sive sint illæ, quæ ex stigmatibus cum antheris quoad altitudinem comparatis, sive quæ ex eorum divisuris desumi solent, tantummodò firmæ cùm ex ipsis perfectè evolutis desumuntur. Nostri Croci interdum stigmata in aliquibus individuis vix sublaciniata, antherisque breviora vel æqualia primùm observantur, etsi tunc jam corollæ limbus apertus sit; at sensim indies excrescentia in fila plura finduntur, plus elongantur, demúm quasi penicilliformia redduntur, et antheras altitudine plus minusve superant.

IRIS *trialata*.

Ir. pedunculis radicalibus; foliis canaliculatis, distichis, recurvis; corollæ tubo longissimo, laciniis maioribus imberbibus, ad medium dilatatis, obtusis, reflexis, alternis aliis minimis, lanceolato-spathulatis, obtusis, serrulatis, patentissimis; stigmatum lobulis acutis, denticulatis, introcurvis, corollæ unaquaque lacinia maiori brevioribus.

Ir. *Transtagana*. Brot. Flor. Lusit. Tom. I. pag. 52.

Ir. *alata*, imberbis, foliis ensiformibus; tubo longo filiformi; petalis interioribus minimis, patenti-reflexis. La Marck Dict. Bot. Encycl. Tom. 3. p. 302. It. Poiret Voyage en Barbar. vol. 2. p. 86.

Ir. *microptera*, imberbis, foliis ensiformibus; tubo longo filiformi; petalis interioribus minimis, patenti-reflexis. La Marck Illustr. Gen. Tom. I. n. 571. p. 124.

Ir. *scorpioides*, acaulis, foliis canaliculatis; corollæ laciniis tribus erectis minimis; tubo longissimo. Desfont. Fl Atlant. Tom. I. p. 40. Tab. 6.

Ir. bulbosa latifolia, sive 1. Clus Hist. I. p. 210.
Eadem Grislei Vir. Lusit. n. 1565 It. Dodon. Pempt. p. 212.

Ir. bulbosa latifolia cærulea. Swert Floril. Tab. 36. fig. 2.

Ir. bulbosa latifolia Lusitanica 1. Clusii. Theath. Floræ Tab. 42.

Ir. bulbosa latifolia, acaulos, odora. Bauh. Pin. pag. 38.

Ir. bulbosa latifolia, flore cæruleo et candido.
Io. Bauh. Hist. Pl. Tom. 2. p. 703 cum ic.

Hyacinthus poetarum latifolius. Lob. Ic. 96.

Radix fasciculato-bulbiceps; bulbus fere avellanæ magnitudine, membranis striatis tunicatus, demum foliis vaginatus; e basi nodosa radices quinque, et ultra, prælongas, inæquales, fusiformes, obliquas, crassitie trium ad quinque linearum, in radiculam longam abeuntes, emittens, et ejusdem circa latera nonnullos novos bulbulos progignens.

Folia subtriquetra, canaliculata, subtus carinata, acuta, basi vagi-

J. C. R. Sculp.

IRIS *trialata*

nantia, glabra, pallide viridia, octo ad tredecim lineas lata, sex ad novem uncias longa, disticha, patula, et in terram arcuata, primis annis tantùm é bulbo, postea tàm ex ipso quàm é cauliculo subterraneo exorta.

Caules aut scapi primis annis nulli a bulbo protruduntur; postea duo tresve scapi, seu potius pedunculi radicales, ab eo emittuntur breves et sub terra latitantes; at sæpius cauliculus brevissimus ab eodem profertur, qui sub terra sensim adolescit, teres, foliis vaginatus, duobus tribusve pedunculis brevissimis, in anthesi subterraneis, demum terminatus.

Flores duo vel tres, quorum cum primus marcescit, alii mox ipsi succedunt, singuli spatha cincti sæpe diphylla, interdum polyphylla, foliolis lanceolatis, acutis, pedunculo infra germen alternatim adhærentibus, sub terra albidis membranaceis, extra ipsam viridibus, erectis, tubo corollæ tandem paulò brevioribus, persistentibus.

Perianthium nullum. Corolla supera, cærulea, vix ac ne vix odora, monopetala, limbo sexpartito, inæquali, basi tubuloso: laciniæ omnes petaliformes; tres maiores, erectiusculæ, deinde reflexæ, imberbes, tres fere uncias longæ, apice rotundatæ, ibique vix emarginatæ, oris marginalibus vix crenulatæ, paulo infra medium latiores, seu in lobulum dilatatæ, versus basin angustatæ, sicque quasi ovato-spathulatæ apparent, intus in medio macula lutea longa crassiuscula notatæ, ad cujus latera exalbidæ, lineisque cæruleis pictæ sunt; laciniæ tres ipsis alternæ valde minores, ad unam unciam longæ, ex albido cæruleæ, lanceolato-spathulatæ, obtusæ, infra medium angustatæ, ibique canaliculatæ, integerrimæ, ultra illud serrulatæ, patentissimæ, demum reflexæ, sicque tres alas extensas effingentes. Tubus longissimus, tres quatuorve uncias longus, spatha laxe stipatus, illaque parum altior, ad corollæ faucem latior, infernè filiformis cum stylo coalitus, germinique apici cum illo adhærens.

Stam. filamenta tria, alba, subulata, semiunciam fere longa, fauci corollæ inserta, ejusdem laciniis maioribus opposita. Antheræ erectæ, albidæ, quinque fere lineas longæ, lineares, compressæ, infernè bifidæ, apice obtusæ, biloculares, inter stigma et corollæ lacinias maiores reconditæ. Pollinis granula subglobosa, hyalina, succosa.

Pist. Germen oblongum, trigonum, sub terra in fundo spathæ latitans. Stylus tenuissimus, paulo infra corollæ faucem tubo illius connatus. Stigmata tria petaloidea, dilute seu ex albido cærulea, oblonga, laciniis corollæ maioribus paulo breviora, intus dorso carinata (carinâ sulco marginato exarata) extus concava, antheris incumbentia, bilabiata; labium exterius minimum, albidum, membranaceum, obtusum, obsolete emarginatum, labium interius maximum, profunde bifidum, laciniis acutis, denticulatis, sæpe introrsum flexis.

Peric. Capsula obtuse trigona, trisulca, trilocularis, trivalvis, poly-

sperma. Semina in duas series singulo in loculo disposita, subrotunda, subrugosa.

Habitat in locis humidiusculis, interdumque in rupibus circa Elvas, Eboram, et in collium radicibus non procul ab Anâ flumine sitis. Floret Decembri, Januario, Februario. Perennis.

Obs. 1.° Variat, etsi raro, corolla alba, interdum quoque stigmatum laciniis fere edentulis, vix ac ne vix introrsum flexis, et illas corollæ maiores longitudine æquantibus; item laciniis corollæ minoribus patulis et obliquatis. Quapropter Iris *patula* Poiret, *microptera* La Marckii, et *scorpioides* Desfont., quæ in Barbaria occurrunt, hujus tantùm, quæ in Lusitania et Hispania fertur, ut varietates habendæ.

Obs. 2.° Nimis affinis Ir. *Persicæ*; sed differt colore cæruleo corollæ, nec semper valde variegato, stigmatum laciniis acutis, nec rotundatis, laciniis quinque corollæ minoribus obtusis, nec acutiusculis, denique foliis præcocioribus, quæ in anthesi plantæ triplo, et ultra, flore longiora, nec flori longitudine æqualia vel paulo ipso longiora. Utraque media esse videtur inter Ir. verè imberbes et barbatas, seu unde natura intermediis semibarbatis, uti Ir. Sisyrinchio, transit ad barbatas; nam macula lutea crassiuscula in utriusque laciniis corollinis maioribus sita, lente fortiter augescente visa, minimis aculeolis dense echinata, seu villis brevissimis innumeris contiguis constructa esse apparet.

IRIS *Subbiflora*

IRIS *subbiflora.*

Lusit. *Lirio cardeno*, *ou Lirio roxo ordinario.*

Ir. foliis ensiformibus, caule subbifloro paulo brevioribus; corollæ laciniis tribus, reflexis, obtusis, barbatis, oblongo-cuneiformibus; tribus alternis eas longitudine subæquantibus, erectis, obtusis, conniventibus; tubo spathis laxè incluso, germen ferè triplo excedente; lobulis stigmatum acutis, subdenticulatis.

Ir. *subbiflora.* Brot. Flor. Lusit. Tom. I. Pag. 50.

Ir. *biflora*, barbata, foliis ensiformibus, brevioribus scapo subtrifloro; germine tereti. Lin. *Spec. Plant.; sed uti varietas in hortis extra Lusitaniam culta.*

Ir. *biflora*, corollis barbatis; caule subtrifloro, foliis longiore; petalis violaceis. La Marck Dict. Bot. Encycl. Tom. 3. pag. 295. *Etiam uti varietas in hortis cultas.*

Ir. vulgaris Lusitana. *Grisl. Virid. Lusit. n.* 1560.

Ir. vulgaris Lusitana, flore albo et vario. *Idem Ibidem n.* 1561.

Ir. biflora, et Iris latifolia maior. *Clus. Hisp. et Hist.* 22.

Ir. humilis latifolia, et Iridis aliud genus humilius. *Clus. Hisp. et Hist.*

Ir. biflora, flore minore, odore lilii convallium. C. Bauh. Pin. 32.

Chamæiris latifolia saxatilis Lusitanica. Idem Ibid. pag. 34.

Ir. biflora Lusitanica, flore violaceo. I. Bauh. Hist. Pl. vol. 2. p. 722.

Ir. humilis latifolia, colore violaceo saxatilis. Id. Ibid. p. 725.

Radix perennis, oblonga, obliqua, pollicaris fere crassitudinis, intus pulposa candidaque, extus nodosa, subtus multis radiculis filiformibus summa tellure hærens et repens, subinde in plures alias radices similes é lateribus exortas divisa, ima parte demum putrescens, suprema vero gemmas nonnullas foliosas protrudens, quarum sæpe primæva tantùm annuatim caulifera. Inodora est; cum mansa initio ingrata, paulo post fervide acris, sapore fervido sensim augescente et longe perdurante.

Folia radicalia et infima caulis quinque ad septem, vix ultra, ensiformia, subfalcata, viridia, glabra, striata, interiora erectiuscula, exteriora obliqua, quinque ad fere undecim lineas lata, quatuor ad septem uncias et ultra longa, disticha, basi sese et caulem vaginantia, isto sæpe breviora, rarissime illius longitudine, vel illo parum longiora, corollæque tubum æquantia, fere omnia æstate penitus siccescentia; caulina sæpe duo, raro tria vel unicum, radicalibus valde minora, sessilia, alterna, distantia, concava, ventricosa, acuminata, erecta, caulem vaginantia: cùm prope caulis apicem ramulus protruditur, istius basin folia duo brevia opposita, spathæ foliolis similia, cingunt.

Caulis annuus, quinque ad tredecim uncias altus, erectus, teres, glaber, sæpe trinodis usque ad florem, simplicissimus, aliquoties paulo infra apicem uno brevi ramulo instructus.

Flos subsessilis, seu pedunculo brevissimo intra spatham insidens, sæpe unicus, interdum duo, tertius sanè rarissimus, illum enim in silvestri planta nuspiam vidi et forsan solummodo in luxuriosa vel culta.

Spatha diphylla, persistens; foliola fere opposita, unam ad lineas duas insertione inter sese distantia, subæqualia, tubi corollæ longitudine, ipsique approximata, oblongo-subovalia, compressa, nervosa, concava, ventricosa, subcarinata, viridia, apice subpurpurascentia, ibique membranacea, scariosa, acutiuscula: interdum (præsertim cum flos unicus terminalis) præter hæc duo foliola tertium aliud minimum, membranaceum, convolutum, in axilla supremi folioli spathæ situm, adest.

Corola supera, violacea, suaviter odora, monopetala, sexpartita; laciniæ omnes petaliformes, exteriores tres oblongæ, obovato-cuneiformes, viginti quatuor lineas ad triginta longæ, quatuordecim ad octodecim supernè latæ, ibique obtusæ, integerrimæ, raro obsolete crenulatæ, patulæ, deinde reflexæ, saturatè purpureæ, inferne venis albidis ramosis pictæ, in medio linea longitudinali barbata notatæ, cujus villi succosi et diaphragmatibus dividui sunt, omnes non prorsus candidi, sed superiores albidi, seu cærulei, vel ex albido cærulescentes, inferiores autem prope faucem corollæ lutescentes: laciniæ tres alteræ, exterioribus interpositæ, illis longitudine et latitudine æquales, aut vix breviores vixque angustiores, erectæ, introrsum inter stigmata conniventes, cæruleæ, subovales, apice obtusæ, ibique obsoletè crenulatæ, interdum etsi raro brevissime emarginatæ, infernè in unguem brevem canaliculatum, marginatum, venisque albido-flavescentibus pictum, sensim angustatæ. Tubus trigono-cylindraceus, viridis, seu ex viridi cærulescens, tristriatus, sexdecim ad octodecim lineas longus, supernè ad corollæ faucem latior et paulo infra illam cum stylo connatus.

Stam. filamenta tria, subulata, ex albido cærulea, septem lineas lon-

ga, laciniis corollæ reflexis opposita, ejusdem fauci inserta, ibique decurrentia. Antheræ lineari-sagittatæ, compressæ, quinque sexve lineas longæ, biloculares, cæruleæ, seu ex albido cæruleatæ, erectæ, singula singulo stigmati incubita et sub eodem recondita. Grana pollinis subglobosa, succulenta, hyalina, inaperta, demum exsucca.

Pist. Germen trigono-cylindraceum, supernè attenuatum, ex viridi albidum, obsoletè trisulcatum, sexstriatum, quinque ad octo lineas longum, corollæ tubo fere triplo brevius, intra spatham subsessile. Stylus triangularis, intra corollæ faucem, quatuor ad sex linearum spatio, solutus, postèa illius tubo coalitus, et ejusdem longitudine. Stigmata tria, petaloidea, oblonga, sublinearia, violacea, laciniis corollæ barbatis opposita, ad eas recurvata, eisdemque dimidio fere breviora, extus concava, antheris incumbentia, intùs carinata, carina sulco longo marginato exarata; bilabiata, labio exteriore minimo, vix lineam longo, obtuso absque emarginatura, albido-cæruleo, laciniis acuminatis, serrulatis, sæpe introrsum flexis.

Capsula oblonga, ad verticem angustata, trigona, angulis rotundatis, trisulcata, trilocularis, trivalvis, polysperma. Semina in singulis loculis plura, ovato-subrotunda, fusca, aut pallida, subrugosa; nonnulla abortiunt.

Habitat sæpe in rupibus calcareis, vel solo ipsis vicino, rarius in arvis, circa Conimbricam, Olisiponem usque ad *Cascaes*, *Alhandra*, *Villa Franca* ad Tagum, et alibi in Extremadura et Beira. Floret in Beira sæpe præcocius, Novembri scilicet et Decembri, serius circa Olisiponem, Januario nempe, Februario, Martio et veris initio. Perennis.

Flores Tinctoribus, radices Medicis in usu sunt.

Obs. 1.° In hac specie maxima individuorum pars unicum tantùm florem in suis caulibus, et hunc semel in anno in Lusitania fert; nonnulla tamen individua inter quamplurima, quæ uniflora sunt, habitantia duos flores interdum in eodem caule protrudunt; alia præterea sunt, quæ bis in anno, hoc est, in ejusdem anni duabus diversis tempestatibus, et in caulibus diversis aliquando florent, sed hæc rariora: quapropter speciem potiùs *subbifloram*, quàm *bifloram*, esse dicendam existimavi.

Obs. 2.° Variat circa Olisiponem, etsi raro, corolla alba, aut interdum lutescenti minus odora, quæ tunc est *Iris lutescens* Clariss. La Marck (Dict. Bot. Encycl.) nam toto habitu et notis specificis ab eâ non diversa.

Obs. 3.° Nectarium, ex Celeb. Linnæi sententia, in Iridibus nonnullis est linea longitudinalis barbata, infernè laciniis corollæ reflexis insculpta, in aliis puncta tria externa ad basin floris: ex opinione au-

tem Clariss. Jussiæi Nectarium est sulcus marginatus in carina unius cujusque stigmatis, qui in styli vertice terminatur. Quidquid sit de his partibus denominandis; succi, qui in eis secernuntur, alii ad corollæ tubum stylo connatum, alii ad ipum stylum diutine humectandum, ne illius properata siccitas ovula in ovariis fæcundatione privet, naturaliter destinati esse videntur. Tres partes petaliformes, quæ stigmata communiter dicuntur, antherarum dorso inaperto incumbunt, arcuate supereminent, et ad illas contra pluvias aliasque injurias externas tegendas, vix ac ne vix autem ad pollinis earum substantiam spermaticam absorbendam, inservire a nonnullis Botanicis existimantur, qui adhuc insuper pollinis grana tam arcte cohærere dicunt, ut vi solummodo quadam externa ab illis removeri possint, et ideo seminum fæcundationem locum non habere opinantur nisi Insectorum ope perficiatur; sed capsulæ, tam in hac specie, quàm in aliis ejusdem generis hieme in Lusitania florentibus, ubi nulla Insecta in earum floribus tunc observantur, semina perfecte fæcundata ferunt: itaque eorum fæcundatio aliunde pendet, et aliter explicanda, etsi stigmata vera negentur; hoc sequenti modo explicari posse videtur. Antherarum venter, qui laciniis corollæ reflexis oppositus, cùm longitudinaliter aperitur, grana pollinis partim istarum lineæ barbatæ aut imberbi crassæ et asperæ incumbunt, partim attritu quodam convelluntur et in stylum faucemque corollæ desiliunt; sperma tunc é granis exsudatum vel immediate ab stylo absorbetur, vel mediate, hoc est, a linea laciniarum reflexarum et tubo corollæ cum stylo coalito, exinde postea ad ovula, ut fæcundentur, transmittitur.





Terreira delin.

TRITICUM *Littoreum.*

TRIANTHERIA DISTYLIA.

TRITICUM *litoreum*.

Tr. culmo basi repente ibique ramoso, ex procumbenti erecto; spica simplici, disticha, elongata, in anthesi nutante; spiculis ultra novem, approximatis, sessilibus, lanceolatis, octofloris; calycibus corollisque obtusis, muticis; germine nectarioque supernè villosis.

Triticum *junceum. Brot. Flor. Lusit. I.*

Gramen phænix ramosa maritima.
Grist. Virid. Lusit. n. 670.

Gramen maritimum spica loliacea, foliis pungentibus nostras? *(uti varietas). Plukenet. Phytogr. Tab.* 33. *fig.* 4.

Gramen spartium spicatum, foliis mucronatis longioribus, vel spica secalina? *(uti varietas).* C. Bauh. Pin. 5.

Gramen caninum maritimum, spica triticea, nostras? *(uti varietas). Scheuch.* Agrost. p. 6. et Ray Hist. 1256.

Gramen radice repente maritimum? Tourn. Inst. R. H. 516.

Radix perennis, longè repens, ex quinque ad decem pedes et ultra, crassitudine fili sutorii, albescens, crebrò geniculata, nodis semiunciam ad uncias duas inter sese dissitis, nonnullis præsertim extremis culmiferis, omnibus radicantibus, radiculis villosis; internodia tunicis paleaceis valde longis latisque vestita.

Culmi annui, sesquipedales ad bipedales, crassitudine pennæ gallinaceæ, teretes, farcti, glabri, nodosi, nodis novem et ultra, unam ad duas uncias plus minusve inter sese distantibus, foliis longe vaginati, ad apicem nudi enodesque, debiles, ex procumbentibus erecti, basi ex uno aliove nodo repentes, ibique cespitosi seu confertè approximateque ramosi, ramis alternis adscendentibus, culmi primarii fere longitudine ipsique simillimis.

Folia sex ad novem, alterna, disticha vel ferè disticha, approximate sese invicem vaginantia. Lamina in foliis infimis ad culmi basin radicantem plus minusve brevis, semiunciam ad tres uncias longa, lineam sesquilineamve lata; in aliis inferioribus semipedalis aut peda-

lis, exinde versus apicem culmi ramorumque sensim brevior, duas ad tres lineas aut paulo ultra lata, sublinearis, acuta, patens, subtùs viridis glabra lævis convexiusculaque absque carina, suprà longitudinaliter subconcava glauca striata, lente visa subpubescens seu hinc inde ad strias pilis minimis instructa, nec tamen scabra, marginibus integerrimis glabris lævibus, demum convoluta junciformis apice rigidulo subpungenti. Ligula membranacea, semilineam ad lineam longa, truncata seu obtusa, glabra. Vagina glabra, substriata, marginibus membranaceis lævibus, laminâ valde brevior, internodiis autem longior; in infimis foliis albescens paleacea latior, in aliis præsertim versus apicem culmi atque ramorum angustior et sensim longior.

Spica terminalis, simplex, septem ad novem uncias longa, é folii ultimi vaginâ cùm penitus evoluta et in plena anthesi plus minusve nutans; rachi communi subflexuosa, glabra, articulata, internodiis extus convexis striatis, intus planis sursum versus spicularum basin crassioribus, istisque semper plus minusve brevioribus, marginibus integerrimis lævibus.

Gluma calycina bivalvis; valvæ subæquales, alia vix longior quinque seu sex lineas longa, ad spiculæ medium seu paulo ultra elongatæ, sublineares aut lineari-lanceolatæ, coriaceæ, dilute virides, glabræ, striatæ, multinerves, obtusæ, muticæ, latere exteriori ad rachin communem leviter introflexo subcarinatoque, carina lævi, marginibus submembranaceis, albidis, glabris, integerrimis, lævibus.

Corolla bivalvis; valvæ inæquales, externa in flosculis imis calyce paulo longior, in aliis longitudine calycis aut brevior, dorso ad apicem subcarinato (carina lævi) obtusa cum brevissimo seu obsoleto mucrone, coriacea, nervosa, glabra, marginibus membranaceis, integerrimis, lævibus; valva interior paulo brevior, lanceolata apice obtuso ad lentem subciliato, albida rigidula nervosa, hinc concava inde ad genitalia convexiuscula, marginibus scariosis ad genitalia arctè introflexis, utrinque in flexum carinatis, carinâ lineâ viridi alata, ala albida, ad lentem minutissimè serrato-ciliata.

Nectarium intra corollam in basi germinis ipsoque longius, diphyllum; foliolis ovato-lanceolatis, albidis, usque ad medium crassis glabrisque, supernè tenuissime membranaceis, acutiusculis, villosis, ciliatis, lente visis.

Stam. filamenta tria capillaria, receptaculo ad basin germinis intra nectarium inserta. Antheræ exertæ, versatiles, lutescentes, tres lineas longæ, utrinque furcillatæ, quadrisulcæ, hebetato-tetragonæ, biloculares.

Pist. Germen obovatum subvillosum, hinc convexum, inde unisulcatum. Styli duo brevissimi, albidi. Stigmata plumosa, reflexa.

Peric. nullum. Corolla semen arcte fovet, dehiscit tamen ac demittit. Semen longitudine fere valvæ interioris corollæ, gracile, sublineare, basi acutum, apice obtusum pubescens, hinc convexum inde unisulcatum. Plurima sæpe abortant, duo vix fertilia in basi spicæ.

Habitat ad sepes litoreas infra *Belem* prope Olisiponem, *Cezimbra* atque ad *Boarcos*, *Figueira* et alibi in arenosis maritimis. Floret Maio, Junio. Perenne.

Usus. Radix subdulcis, et vi blande resolvente, aperiente demulcenteque non minus, quàm illa Tritici *repentis*, prædita est. Culmi et folia gratum pecori pabulum præstant.

Obs. 1.° Affine Tritico *junceo* Lin., et pro illius varietate primitus a me habitum; ex posterioribus autem observationibus re verâ specifice diversum esse opinor; differt enim culmo breviore, ex procumbenti erecto, basi ramoso, nodis proprioribus, foliis margine lævibus, et corollæ valva externa ad carinæ apicem non scabra.

Obs. 2.° Affine quoque Bromo *ramoso* Lin., qui Festuca *phœnicoides* ejusdem Botanici (nobis autem Triticum *phœnicoides*;) sed specifice differt foliis latioribus, ultra duas uncias longis, et eorum ligula membranacea; spiculis non teretibus, non breviter aristatis, nec breviter pedunculatis, non unica, duabus, tribus aut paucis; calyce non acuto, et corollæ valva externa non denticulato-ciliata, nec brevi aristâ terminata. Quantùm verò a Tritico *maritimo*, *repenti*, *farcto*, et aliis ejusdem generis speciebus hucusque cognitis differat ex descriptione satis patet.

BROMUS *cylindraceus*.

Br. panicula spicata, oblonga, subtereti; spiculis ovatis, subsessilibus, congestis, quatuor ad sexfloris, compressis, planiusculis; calycis valvulis acutis, inæqualibus, muticis; corollæ valvula externa dorso subcarinata, scabra, pilosa, paulo infra apicem brevissime aristata.

Dactylis *cylindracea* Brot. Flor. Lusit. vol. 1. pag. 59.

Festuca *phleoides*, panicula spicata; glumis ciliatis; spiculis quinque ad octofloris; arista infra apicem brevissima. *Desfont. Fl. Atlant. Tom.* 1. *pag.* 90. *tab.* 23.

Festuca *cristata*, panicula spicata, lobata; spiculis ovatis, latis, sexfloris, hirsutis. Lin. *Spec. plant. curante Willd. Tom.* 1. *pag.* 426.

Poa *cristata*, et Poa *phleoides*, ut varietas. La Marck *Dict. Bot.* Encycl. Tom. 5 pag. 75 - 76. Illustr. Gen num. 975 - 976.

Gramen spicatum, spica cylindracea, molli, densa.
Tourn. Inst. R. Herb. 520.

Gramen alopecurum viridi et molli spica.
Barrel. Tab. 123. fig. 5.

Gramen typhoides molle. Scheuch. Gram. 246. Tab. 5. fig. 5.

Gramen alopecuroides vulgare et alopecuroides minus.
Grisl. Virid. Lusit. n. 582 - 83.

Radix annua; radiculis capillaribus, in fasciculum collectis, nonnullis subdivisis, pubescentibus, albidis, viridibus, demum fuscis.

Culmi ex eodem nodo radicali sæpe plures (sex ad triginta, pro soli macritate aut fertilitate) fere filiformes, simplices aut simplicissimi, glabri, centrales erecti, laterales extrorsum arcuati deinde surrecti, sæpe duas ad sex uncias alti, interdum in solo pingui ad uncias undecim et ultra longi, tuncque subramosi, ramis duobus ad quatuor, alternis, erectis, binodes ad quadrinodes, omnes foliis vaginati, supernè tantummodo nudi.

Folia planiuscula, acuminata, biuncialia ad quinqueuncialia, sesquilineam ad duas lineas cum dimidia lata prope ligulam; inferiora su-

Tab. 98.



BROMUS *Cylindraceus.*

perioribus breviora, superiora internodiis longiora et erecta; omnia subtiliter striata, utrinque et ad margines villosa, interdum subtus glabriuscula, sed lente visa tenuissime lanuginosa. Vagina longiuscula, striata, dorso et ad margines pilosa. Ligula brevis, lacero-denticulata, ciliato-pubescens.

Panicula terminalis, erecta, spicata, cylindracea, seu ovato-cylindrica, sesquiunciam ad tres uncias longa, sensim versus apicem angustata, et ibi acutiuscula, densa, in anthesi laxiuscula, ante et post illam subteretiformiter contracta; rachi communi glabriuscula, ramulosa; ex singulis ejusdem nodis inferioribus ramuli tres quatuorve brevissimi, subpubescentes lente visi.

Spiculæ in ramulis subsessiles, contiguæ et quasi imbricatæ, ovatæ, compressæ, duas lineas ad fere quatuor longæ, sesquilineam, aut paulo ultra, in medio latæ, sæpe quatuor ad sexfloræ. raro trifloræ, septem seu octofloræ in eadem panicula. Flosculi distichi, propinquissime alterni, seu fere oppositi, sessiles, sensim versus spiculæ apicem minores; extremus interdum effetus.

Gluma calycina, flosculis communis, bivalvis; valvulæ acutæ, muticæ, trinerves, compressæ, marginibus scariosæ glabræque, dorso virides et subcarinatæ, carinâ, seu paulo ultra illius medium, scabræ et pilosæ, vel pubescentes, inæquales, alia angustata brevior, alia latior sæpe sesquilineam longa et paulo ultra spiculæ medium protensa.

Corollæ valvulæ compressæ, inæquales; externa acuta, parum altior et largior, trinervis, viridis, marginibus et apice scariosa glabraque, dorso subcarinata, ibique scabra et sæpe pilosa, apice nunc integerrima, nunc leviter bifida, paulo infra apicem aristata, arista brevissima, scabra, erecta: valvula interna membranacea, albida, subplana, apice profunde bifida, mutica, glabra, margine utroque uninervis, et ibi pubescens lente visa.

Nectarium bilamellatum; lamellis albidis, ovatis, obtusis, basi gibbis, germine brevioribus.

Stam. filamenta tria intra nectarium, capillaria, brevia. Antheræ luteæ, oblongæ, lineares, utrinque furcatæ.

Pist. Germen subovale, stylis duobus minimis reflexis terminatum. Stigmata plumosa, hyalina.

Semen unicum, ovale, acutiusculum, corolla tectum.

Habitat ad vias, aggeres, segetes circa Conimbricam, Olisiponem et alibi in Beira et Extremadura. Floret vere et interdum usque ad Julium. Annua.

Obs. 1.° Semina plurima abortiunt. Valvula externa corollæ semper aliquantùm infra apicem aristata est; cum apex bifidus, tunc ex angulo fissuræ inter lacinulas, vel paulo infra eum, arista erumpit; cum apex integerrimus, tunc arista paulo infra ipsum dorso affixa est; in utroque casu arista ultra ipsum apicem ex semilinea ad lineam sursum protenditur. Spicularum extremi flosculi sæpe mutici, seu breviùs aristati. Interdum corollæ valvula externa in flosculis inferioribus penitus pilosa est, in superioribus autem tantummodo prope apicem pilosa; aliquando, etsi raro, calycis utraque valvula et illa corollæ exterior in nonnullis flosculis penitus glabræ sunt.

Obs. 2.° Planta Dactylibus nimis affinis; eam illis olim adjunxeram ob spiculas compressas, et ob calycis valvulas tantillum carinatas; sed cùm Dactylium caracter genericus valde varians et æquivocus, insuperque arista corollæ ipsarum terminalis sit, dum é contrà nostræ plantæ corolla semper infra apicem aristata, quod Bromis proprium, ideo eam istis potius quàm illis associandam esse nunc existimo. Neque ad Poas aut Festucas, quibus etiam nimis affinis, amandanda, hoc enim cum arista corollæ infra apicem sita non concordat.



BROMUS *caudatus*

BROMUS *caudatus.*

Br. panicula subspicata, oblonga, sublobata; spiculis quadri-quinque-florisve, obovatis, compressis, contiguis, subsessilibus; calycis valvulis dorso scabris; corollæ utraque sæpe glabra, exteriori infra apicem aristata; arista illius fere longitudine, erecta.

Br. *rigens*, panicula spicata; spiculis subsessilibus, erectis, pubescentibus, subqnadrifloris?
Lin. Sp. pl. curante Willd. Tom. 1. pag. 436.

Gramen alopecuroides maximum, spica divisa.
Scheuch. Gram. 247. tab. 5. fig. 6.

Gramen alopecuroides segetum et campestre.
Grisl. Virid. Lusit. n. 588-89.

Radix annua, fibrosa; radiculis ad nodum dense congestis, ex albido virescentibus, nonnullis subdivisis.

Culmi plures ex eadem radice, octo ad triginta et ultra, semipedales ad pedales, filiformes, trinodes ad quinquenodes et ultra, centrales sæpe erecti, laterales infernè curvati, deinde erecti, sæpe glabri, raro infra paniculam subpilosi, simplices, tres ad sex ramos subdivisi; ramis culmo brevioribus, erectis.

Folia planiuscula, acuminata, striata, utrinque subpilosa, ora marginali subciliata, ibique scabriuscula, duas ad quatuor fere lineas prope ligulam lata, duas ad quatuor uncias longa; suprema breviora. Vagina longa, striata, margine et dorso subpilosa. Ligula brevis, lacero-ciliata.

Panicula subspicata, biuncialis ad quinqueuncialis, in anthesi valde laxa, ante et post illam contracta in formam ovato-lanceolatam, lateribusque sublobatam. Rachis subangulosa, sæpe glabra, raro pubescens, é nodis alterne ramosa; rami pluries divisi, in panicula primaria tres quatuorve infernè ex eodem nodo exeunt, deinde sensim numero decrescunt versus ejusdem apicem, ubi demum solitarii sunt.

Spiculæ plurimæ, obovatæ, compressæ, sesquilineam ad lineas duas cum dimidia longæ, similiter in summo latæ, trifloræ ad quinquefloræ, alternæ, dense approximatæ et quasi imbricatæ, breviter pedunculatæ, nonnullæ subsessiles.

Gluma calycina bivalvis; valvulæ acutæ, muticæ, subcarinatæ, glabræ, marginibus scariosæ, dorso scabræ, nonnumquam ibique subpilosæ, inæquales, alia paulo longior et latior.

Corollæ valvulæ sæpe læves, glabræ, interdum, in flosculis spicularum inferioribus, dorso subpilosæ, subæquales; externa parum longior, latiorque, lateribus et apice scariosa, subcarinata, leviter bifida, in angulo fissuræ inter lacinulas, vel parum infra, aristata; arista illarum longitudine, sesquilineam scilicet ad lineas duas cum dimidia earum apices excellens; interna omnino membranacea, albida, subplana, profunde bifida, mutica.

Nectarium bilamellatum; lamellis albidis, ovatis, obtusis, basi gibbis, germine brevioribus.

Stam. filamenta tria, capillaria, intra nectarium. Antheræ luteæ, lineares, utrinque bifurcatæ.

Pist. Germen subteres. Styli duo minimi, reflexi. Stigmata plumosa.

Semen unicum, ovale, corolla tectum. Sæpe in omnibus fere spiculis effetum.

Habitat ad vias, aggeres, interque segetes circa Olisiponem, Conimbricam, et alibi in Extremadura et Beira. Floret vere. Annuus.

Planta a pecore grate pascitur.

Obs. Species nimis affinis præcedenti, et pro illius varietate frequenter habita; sed differt præsertim habitu majori, et panicula, cum laxa in anthesi, triplo quadruploque latiori, dumque contracta crassiori, lateribus sublobata, et minus cylindrica, ramis quoque valde longioribus et plus divisis, arista corollæ longiori, atque istius fere longitudine; insuper corollæ valvula exteriori sæpe glabra lævique, nec sæpe pilosa et scabra. Media inter Dactylem, Poam et Festucam; sed ab ipsis ob aristam valde infra apicem corollæ sitam removenda, et Bromis associanda.

Tab. 100.

BROMUS *geniculatus.*

BROMUS *geniculatus.*

Br. panicula erecta, subramosa, late expansa, demum secundè contracta; spiculis sæpe quadrifloris, pedicellis ensiformibus supernè incrassatis; calycis valvula exteriori spiculam æquante; arista recta, flosculi longitudine.

Br. *geniculatus*, panicula erecta, flosculis distantibus, pedunculis angulatis, culmo genu procumbente.
Lin. Sp. pl. curante Willd. tom. 1. *pag.* 434.

Idem Schreb. *Gram.* 2. 60. *tab.* 31. *Ubi tamen corolla, uti Festucis propria, depicta.*

Festuca *geniculata. Brot. Flor. Lusit. Tom.* 1. *pag.* 118.

Gramen Festuca avenacea minor. *Grisl. Vir. Lusit. n.* 629.

Festuca *stipoides*, panicula erecta, secunda; spiculis subquinquefloris; glumis breviter aristatis, pedicellis ensiformibus. Desfont. *Fl. Atlant. Tom.* 1. *pag.* 90.

Br. *stipoides*, panicula erectiuscula, pedunculis ensiformibus. Lin. Spec. plant. et Mant. 557.

Br. *incrassatus*, panicula erecta, ovato-pyramidata; spiculis glabris, subquadrifloris; pedicellis supernè incrassatis. La Marck. Dict. Bot. Encycl. Tom. 1. pag. 469.

Radix fibrosa, annua; radiculæ capillares in fasciculum collectæ.

Culmi raro solitarii, sæpe plures ex eodem radicali nodo, tres ad octo, filiformes, glabri, semipedales ad sesquipedales, infernè tri-quadrinodes aut quinquenodes, geniculis nigrescentibus, aut ex virescenti fuscis, ad ima extrorsum curvati, seu refracti, deinde erecti, nonnulli simplicissimi, alii ex inferioribus geniculis aut interdum ex singulis ramiferi, foliis vaginati, supernè nudi: rami eis breviores, erecti.

Folia plana, acuminata, striata, angusta, sesquilineam ad tres lineas lata, duas ad quatuor uncias longa, subtus glabra, suprà lente visa subvillosa, margine vix scabriuscula. Vaginæ longæ, striatæ, glabræ. Ligula brevis, membranacea, glabra, truncata, lacera.

Panicula terminalis, rachi erecta, tres ad septem uncias longa, striata, subangulosa, scabriuscula. subramosa; ramis scabris, inæqualibus, aliis indivisis, aliis plus minusve divisis, bispicatis, trispicatis et ultra, sæpe duobus ad quatuor ex rachis inferioribus nodis simul prodeuntibus, omnibus in anthesi cum spiculis late sparsis et distantibus, deinde contractis, quasi secundis.

Spiculæ plurimæ sæpe virides, raro subpurpureæ, late lanceolatæ, compressiusculæ, tres ad quinque fere lineas longæ, aristis non supputatis, sæpe quadrifloræ, nonnullæ interdum trifloræ in eadem panicula, raro quinquefloræ aut sexfloræ, flosculis alternis, subdistichis, rachi scabræ laxè adhæsis; omnes pedunculatæ; pedicelli virides, seu interdum dilute purpurei, sesquilineam ad tres lineas et ultra longi, compressi, ancipites, seu subtriquetri, sensim sursum latiores et crassiores, angulis scabriusculi, apice obtusi.

Gluma calycina bivalvis; valvulæ sublanceolatæ, acuminatæ, canaliculatæ, marginibus scariosæ glabræque, nervo dorsali virides et ibi scabræ, apice muticæ etsi rigidè ibidem mucronatæ, inæquales, alia $\frac{1}{3}$ brevior, alia sæpe spiculæ longitudine, aristis non computatis, rarissime illâ paululum brevior. Corollæ valvula exterior axi spiculæ nodoso insessa, lanceolata, canaliculata, glabra, dorso viridis, ibidem infernè lævis superne scabra, marginibus scariosa, et ibi interdum perpaucis pilis ciliata, apice in mucronem scariosum minimum bifidum aut integerrimum terminata, infra istum, aristam rectam, scabram, tres quatuorve lineas longam, et semper ei longitudine æqualem, emittens: valvula interior paulo brevior, fere plana, apice bidentea, mutica, albido-membranacea, utroque margine nervo scabriusculo viridi prædita, raro ibique subciliata.

Stam. filamenta tria capillaria, receptaculo inter nectarium et germen inserta. Antheræ luteæ, lineares, bifurcatæ.

Nectarium bisquamulosum; squamulæ crassæ, ovatæ, acutiusculæ, basi gibbæ, albidæ, glabræ, germinis longitudine, seu vix eo longiores.

Pist. Germen turbinatum, albidum. Styli duo brevissimi. Stigmata plumosa.

Pericarpium nullnm. Semen unicum, cui corolla arcte clausa adnascitur, lineare, hinc convexum inde unisulcatum, duas lineas longum aut paulo ultra, arista et dentibus corollæ terminatum.

Habitat in siccioribus, ad vias, et aggeres frequens circa Conimbricam, Olisiponem et alibi in Beira et Extremadura. Floret. vere. Annuus.

Planta pecori gratum pabulum præstat.

Obs. 1.° Arista corollæ nunc in nonnullis flosculis hujus speciei re ve-

râ terminalis est, nunc in plurimis ab apice corollæ scarioso non separata, seu vix ac ne vix quidem sub ipso emissa esse videtur; ideo ea interdum potius Festucis quàm Bromis facile a Botanicis adscribitur; sed si lente satis augescentè observetur, infra corollæ apicem scariosum sive bidenteum, sive integerrimum, lineæ aut fere sesquilineæ distantiâ, sita esse evidenter cognoscetur: quapropter species a Festucis ad Bromos, quibus certe plus affinis, sejungenda.

Obs. 2.° Bromus *stipoides* Lin. qui dubio procul idem ac Bromus *incrassatus* La Marck, et Festuca *stipoides* Desfont. est, a nostro Bromo *geniculato* nulla nota verè specifica differt, ideoque uti ejusdem tantum varietas, a solo, climate, expositione, aut alia causa proveniens, habendus esse videtur.

FESTUCA *barbata.*

Fest. racemo subspicato, simplicissimo, subsecundo, erecto; spiculis sex ad decemfloris; corollæ valvula maiori aristata, hirsuto-ciliata, calycis alia brevissima, alia longissima, utraque acuminata, mutica, glabra; pedicellis compressis, supernè incrassatis.

Fest. *ciliata.* Brot. Flor. Lusit. Tom. 1. pag. 115.

Radices sub nodo radicali numerosæ, in fasciculum collectæ, capillares, fuscæ, interdum pubescentes, annuæ.

Caules plures ex eodem nodo radicali, primodùm declinati, seu obliqui, deinde erecti, flexuosi, glabri, teretes, alii simplicissimi, simplices alteri unum aliumve ramum protrudentes, geniculati, geniculis quatuor ad septem sensim versus basin proprioribus, foliis vaginati, supernè aphylli.

Folia solitaria in singulo geniculo culmi, glabra, planiuscula, duas lineas aut paulo ultra lata, uncias duas ad fere tres longa, inferiora breviora, omnia demum filiformiter convoluta: vaginæ glabræ, leviter striatæ, supernè fissiles; ligula brevissima, truncata.

Racemus subspicæformis, simplicissimus, erectus, sesquiunciam ad tres uncias vel paulo ultra longus, subsecundus, in anthesi laxus, deinde sensim contractus. Spiculæ septem ad quindecim, planiusculæ, oblanceolatæ, virides, alternæ, pedicellatæ; pedicelli erecti, seu erecto-patuli, duas lineas aut paulo ultra longi, spiculis fere triplo breviores, aristis non computatis, compressi, versus apicem dilatati.

Gluma calycina bivalvis, erecta, flosculos sex ad decem continens, distichos, alternos, supremos sæpe steriles; valvulæ acuminatæ, glabræ, inæquales, inferior minima vix lineam longa, superior maxima sextuplo et ultra longior, seu flosculi infimi longitudine, mucronata seu interdum in brevissimam aristam terminata. Corolla bivalvis, valvula exterior dorso versus apicem scabriuscula, marginibus scariosa, ibique intus quamplurimis pilis albidis instructa, cæterum glabra, apice arista recta scabra, ipsius longitudine, terminata; valvula interior minor, membranacea, albida, apice bifido subciliata, vel penitus glabra.

Nectarium diphyllum, foliolis albidis, succosis, ovatis, obtusiusculis, concavis, gibbis, germine paulo brevioribus.

J. C. R. Sculp.

FESTUCA *barbata*.

Stam. filamenta tria capillaria, corolla breviora. Antheræ oblongæ, luteæ, versatiles, basi et apice bifurcatæ.

Pist. germen obovato-subrotundum, albidum. Styli duo breves, reflexi. Stigmata plumosa.

Semina oblonga, tenuia, corollæ valvula interiore arcte tecta, hinc unisulcata: plurima abortiunt.

Habitat juxta littora maris, ad ripas Durii prope *Porto*, ad Tagum infra *Belem*, et alibi in solo macro arenoso. Floret vere. Annua.

Obs. Nimis affinis Fest. *ciliatæ* La Marck (Dict. Bot. Encycl. Meth. Suppl. pag. 634.) differt tamen valvula calycina superiore longissima et infimi flosculi longitudine aut longiore, nec minuta brevissimam inferiorem parum excedente; insuper, numero flosculorum in spiculis sæpe maiori, racemo sæpe breviore, et semper simplicissimo. Nimis affinis etiam Fest. *alopecuro* La Marck (Ibid. pag. 636) et Schoubusc. (Maroc. I. pag. 281) sed differt valvulis calycinis non longitudine æqualibus nec intus hirsutis pariter cum corolla.

AGROSTIS *miliacea suffrutescens.*

Lusit. *Talhadente.*

Agr. culmis cespitosis, multinodibus, suffrutescentibus; foliis subasperis; panicula ramosa, maxima, florente laxissima, antea et postea contracta, subnutante; pedunculis semiverticillatis, trichotomis, nonnullis bifidis; calycis valvulis subæqualibus, corolla glabra longioribus, istiusque arista terminali recta caduca dimidio brevioribus.

Agr. *miliacea.* Brot. Flor. Lusit. Tom. I. pag. 74.

Eadem Lin. Sp. pl. ut varietas.

Radices fibrosæ, ramosæ, dense sub nodo radicali fasciculatæ, fuscæ, vivaces.

Culmi plures ex eodem nodo radicali, bipedales ad tripedales, crassitudine fere pennæ corvinæ, teretes, fistulosi, multinodes, rigidi, glabri, obsolete striati, alterne subramosi, sæpe per aliquot annos plus minusve infra medium vel supra istud virentes, tuncque ex nodis lateraliter proliferi, gemmas scilicet duas ad quinque conjunctas et ramiferas ex lateralibus alternis nodorum protrudentes; rami erecti, nonnulli floriferi, basi ad exortum é gemma, squamis, seu vaginis aliquorum tenuium foliolorum, imbricatis, siccis, albidis, amicti.

Folia plana, acuminata, viridia, striata, utrinque glabra, suprâ et marginibus scabra, subtùs lævia nervo dorsali tantùm scabriuscula; radicalia aliqua et inferiora culmi semipedalia ad pedalia, duas ad fere quatuor lineas lata; superiora culmi et illa ramorum breviora et angustiora; omnia internodiis longiora, siccata convoluta, demum albida. Vaginæ glabræ, striatæ, absque ulla scabritie, duas tresve uncias longæ, ad ramorum basin breviores. Ligula lineam vel paulo ultra longa, membranacea, albida, lacera, seu denticulata, glabra, ad latera interdum pilosiuscula.

Panicula ampla, in florescentia laxissima, patens, ante illam et cùm fructifera contracta, subnutansque; rachis semipedalis ad fere pedalis, striata, infernè lævis, supernè scabra, ramosa; rami, seu pedunculi, tres ad quinque ex nodis inferioribus simul prodeuntes, et alternos semiverticillos constituentes, internodiis longiores, sæpe ramosissimi, pluries trifidi, nonnulli bifidi, versus apicem rachis longitudine et numero decrescentes, extremi floriferi: flores alterni, erecti, pedicellati; pedicelli breves, apice nodosi.

AGROSTIS *miliacea ſuffruteſcens* (*A*)

Tab. 103.



AGROSTIS *miliacea suffrutescens* (*B*)

Gluma calycina uniflora, acuminata, ovato-lanceolata, glabra, bivalvis, sesquilineam fere longa, vix ultra lineam lata; valvulis longitudine et latitudine subæqualibus, corollâ longioribus, muticis, infernè tricostalis, costa media apice scabra, supernè et ad margines membranaceis. Corolla elliptica, seu sublanceolata, glabra; valvulis submembranaceis, exalbidis, obtusiusculis, subæqualibus, exteriore vix longiore, obsolete trilineata, aristata; arista terminalis, recta, scabra, caduca, calyce dimidio longior, vel extra illum sesquilineam ad lineas duas elata.

Nectarium diphyllum, foliolis, seu squamulis, ovatis, obtusiusculis, albidis, succosis, basi gibbis, germine paulo brevioribus.

Stam. filamenta tria, capillaria, gluma calycina vix breviora, receptaculo inter germen et nectarium inserta. Antheræ oblongæ, luteæ, versatiles, basi et apice bifurcæ.

Pist. Germen superum, obovato-subrotundum, albidum, succosum. Styli duo, reflexi, brevissimi. Stigmata oblonga, plumosa.

Semina plurima, singula in singulo flore, nonnulla sterilia, omnia corollæ valvulis arcte obvestita, fere elliptica, exigua, lineam aut vix paulo ultra longa, glaberrima, nitida.

Habitat ad vias, sepes, interdum in silvis et agris, in omnibus fere Lusitaniæ provinciis. Floret vere et æstate, rarius autumno. Perennis.

Planta inodora, et sapore graminum proprio prædita. Ob culmorum rigiditatem, foliorum et paniculæ scabritiem a pecore rejicitur.

Obs. Cùm ab Agr. *miliaceâ.* Lin. notis essentialibus specificis non diversa esse videatur, ideo cum illa conjunxi. Agr. *melanosperma* La Marck (Dict. Bot. Encycl. Meth.) seu Milium *paradoxum* Lin. vix a nostra differt, nisi culmo minus nodoso, seminibus minoribus et nigris: Agr. *comosa* ejusdem La Marck (Ibid. Suppl. tom. I. pag. 257.) cum ipsamet specificè convenit, exclusis synonymis, quæ ad Airam *cespitosam* amandanda. Itaque hæ omnes plantæ non pro diversis speciebus, sed pro eadem specie, Agr. scilicet *miliacea* variante, ut probabiliter videtur, assumendæ.

TETRANTHERIA MONOSTYLIA.

TEUCRIUM *polium Lusitanicum.*

T. capitulis terminalibus ovatis laxis; foliis oblongiusculis sublanceolatis, obtusis, crenatis, tomentosis, sessilibus; caulibus longè prostratis, demum adscendentibus.

Lusit. *Polio montano.*

Teucr. *polium* Brot Flor. Lusit. tom. 1 pag. 164. Lin. Sp. pl. 792. La Marck Dict. Bot. Encycl. 2. p. 699. et seq. Desfont. Fl. Atlant. 2. p. 7.

Teucr. *Lusitanicum.* Link Flor. Lusit. 1. p. 86. tab. 3. Lin. Sp. pl. edit. Willd. 3. p. 38.

Polium Lusitanicum supinum minus incanum, caulibus perpurascentibus, flore albo. Tourn. Inst. R. H. 206.

Polium montanum supinum odoratissimum. Grisley Vir. Lusit. n. 1171.

Radix lignosa, ramosa, perennis.

Caules plures ex eadem radice in orbem fusi et longe procumbentes, demum plus minusve adscendentes, septem uncias ad undecim longi, teretes, ad apicem incano-tomentosi, infra medium nonnunquam purpurascentes, ramosi, florentes infernè effoliati, suffruticosi.

Folia sessilia, opposita, parum inter sese dissita, sublanceolata, obtusa, é medio marginum crenata crenis reflexis, rugosa, utrinque tomentosa, infernè tamen magis incana, sex ad decem lineas longa, sesquilineam ad tres fere lineas in medio lata, suprema sub floribus minora, uti etiam illa, quæ in axillari ramulorum exortu quasi fasciculata proveniunt.

Capitula caulem et ramulos terminant, et subtus circumfoliata sunt, ovata, laxa, multiflora, in ramulis tamen nonnullis pauciflora. Flores subsessiles. Bracteæ sub calyce parvæ, lineari-lanceolatæ, integerrimæ, floribus breviores.

Calyx subcampanulatus, angulatus, villoso-tomentosus, quinquedentatus, dentibus brevibus, subæqualibus, acutiusculis.

Corolla alba, unilabiata: labium superius nullum, sed ejus loco fis-



TEUCRIUM *polium Lusitanicum.*

sura profunda, ubi stamina; labium inferius quinquefidum, laciniis omnibus obtusis, media terminali maiori oblonga.

Stamina quatuor didynama, lateri superiori corollæ fisso incumbentia, arcuata. Antheræ parvæ, subovales.

Pistilli germen quadripartitum. Stylus situ et longitudine staminum, filiformis. Stigmata duo tenuia, brevia, acuta.

Pericarpium nullum. Calyx persistens in suo sinu semina quatuor subovalia continet.

Habitat in collibus calcareis circa Conimbricam et alibi, raro circa Olisiponem. Floret æstate. Suffrutex.

Planta subacris, amariuscula, odore aromatico grato prædita. Olim cum therebentina Veneta contra podagram inter Italos usitata, hodie tantummodo in Theriaca et Mithridatio.

Obs. Variat foliis magis minusve latis, longis, et incanis; caulibus plus minusve longè prostratis, vixque demum adscendentibus, et pro varietate potiùs Teucrii *polii*, quàm pro distincta specie habenda videtur, neque cum nostro Teucrio *capitato* confundenda; vide quæ de illo referemus.

TEUCRIUM *capitatum Lusitanicum.*

Teucr. capitulis subrotundis, caulem ramosque terminantibus; foliis oppositis, lineari-lanceolatis, obtusiusculis, margine reflexis, antice crenatis, ex viridi tomentosis, minoribus aliis ad alas fasciculatis; caulibus multinodibus, incano-tomentosis, centralibus erectis, lateralibus ex deflexo erectis; calyce æqualiter quinquedentato, bracteis longiore.

Lusit. *Teucrio capitoso.*

T. *capitatum*, capitulis pedunculatis; foliis lanceolatis, crenatis, tomentosis; caule erecto. Lin. Spec. plant. 792 La Marck Dict. Bot. Enc. Meth. tom. 2. p. 700. *(Idem cum sequentibus, et aliis, multimodis varians.)*

T. *capitatum*. Brot. Flor. Lusit. tom. 2. p. 482.

T. *Lusitanicum*, capitulis terminalibus axillaribusque; foliis linearibus obtusiusculis, margine reflexis, crenatis, tomentosis; caule adscendente, tomentoso. Hoffm. et Link Flor. Lusit. tom. 1. p. 86.

T. *Lusitanicum*, capitulis laxis, foliis linearibus obtusis, crenulatis, incanis; caule pubescente, corymbifero. Schreb. Unilab. p. 47. n. 59. Willd. Sp. pl. tom. 3. p. 58. quod Teucr. *album*. La Marck Dict. Bot. Encycl. Supp. tom. 2. p. 770.

Polium montanum tenuifolium, erectum.
Grisl. *Virid. Lusit. n.* 1170.

Radix lignosa, ex viridi fusca, primodum recta, posteà plus minusve tortuosa, subramosa, collo ad terræ superficiem radiculis capillaribus cincta, ibique caules, qui infernè perennant, emittens.

Caules suffruticosi, centrales erecti, laterales paululum deflexi, exinde recte superelati, octo ad tredecim uncias alti, teretes, multinodes, nodis inferioribus propioribus, incano-tomentosi (nulli, quos vidi, purpurascentes) ramosi, supernè foliosi, et ibi uno alterove anno cum ramis siccescentes, infernè effoliati plus minusve perennantes, ramosque novos cauliformes protrudentes, tunc ad exortum é veteri radice, nec longè ab illa, fibrati. Rami ex axillis erumpentes, oppositi, interdum nonnulli ex infimis novis cauliformibus alterni, omnes foliosi, multinodes, erecti, incano-tomentosi, uti caules altitudine inæquales, alii simplicissimi, alii plus minusve subdivisi, trifidi, bifidi, apice demum capituliferi.



Ferreira delin.

TEUCRIUM *Capitatum Lusitanicum*.

Folia opposita (terna nulla) sessilia, lineari-lanceolata, obtusiuscula, semiunciam ad unciam longa, sæpe internodiis inferioribus longiora, antrorsum latiora ibique lineam ad sesquilineam lata, marginibus valde revoluta, é medio usque ad basin integerrima, ex illo usque ad apicem crenata, suprà sæpe ex viridi teniussime tomentosa, raro incana, longitudinaliter in medio disco unisulcata, ad crenas subrugosa, subtus, præsertim in nervura dorsali, exalbido tomento densiori tecta; axillaria utrinque plurima, quasi fasciculata, quatuor ad sex, dimidio fere breviora et angustiora, ex gemmis ramigenis exorta; suprema caulium et ramorum forma et magnitudine sæpe aliis inferioribus similia.

Capitula subrotunda, copiosa, et quasi paniculata, in summitate caulium et ramulorum tenuium, qui pedunculorum vices agunt: folia duo opposita aliis structura similia, sub singulo capitulo sita, ipsoque breviora, involucrum constituunt. Folia floralia parva, oblanceolata, calyce paulo breviora. Flores erecti, inferiores laxi, patuli.

Calyx tomentosus, campanulatus, obsolete angulatus, quinquedentatus, dentibus brevibus, æqualibus, acutiusculis. Corolla alba (purpurascentem nullibi vidi.) Labium superius nullum, sed ejus loco fissura; labium inferius quinquelaciniatum, terminali lacinia oblonga, acutiuscula, integerrima.

Stam. filamenta didynamica, albida, arcuata, inter corollæ fissuram prominentia. Atheræ parvæ.

Pist. germen quadripartitum. Stylus filiformis situ et longitudine staminum, incurvus. Stigmata duo, tenuia, acuta.

Semina quatuor subrotunda, fusca, in fundo calycis persistentis recondita.

Habitat frequens in collibus, rupibusque calcareis de *Monsanto* et *Alcantara* prope Olisiponem, et alibi in Extremadura. Floret Junio, Julio. Suffrutex.

Odor aromaticus, gratus; sapor ingratè amarus. Vires ut Teucr. *polii.*

Obs. Nimis affine. Teucrio *polio*, quod circa Conimbricam, rarissime verò circa Olisiponem, occurrit; sed cum illo non confundendum, differt enim statura sæpe altiori, et caulibus nunquam prostratis, sed centralibus erectis, lateralibus brevi spatio etsi extrorsum deflexis, illico erectis; insuper, novi rami, qui é basi emortuorum caulium perennante, sive illa erecta sive deflexa sit, erumpunt, omnes sursum versus erecti excrescunt. Hæc species ex solo, situ et aliis causis, plus minusve variare solet, tomento scilicet partium niveo aut subvirescente, pertenui aut densiore, nonnullis caulibus plus minusve deflexis, foliis angustioribus aut latioribus, capitulis minoribus aut maioribus, subrotundis aut oblongiusculis; idcirco Teucrium

Valentinum, *pseudohyssopum*, *pycnophyllum*, istud *Lusitanicum*, quæ omnia a Clar. Schrebero et Willdenovio uti novæ species habita, et eadem quæ in Barrel. Icon. 1048, 1078, 1079, 1091, 1096, ad Teucrium *capitatum* Lin. et La Marck, ut ejusdem varietates, amandanda et cum illo conjungenda videntur. Nec tamen phrasis specifica Tournefortii » *Polium Lusitanicum supinum*, *minus incanum*, *caulibus purpurascentibus*, *flore albo* » ad idem Teucrium *capitatum*, sed potius ad nostrum Teucrium *polium*, quod longe supinum est, referenda.



Tab. 106

TEUCRIUM

Tab. 106

I. C. R. Sculp.

TEUCRIUM *Lusitanicum Salviastrum.*

TEUCRIUM *Lusitanicum salviastrum.*

Teucr. foliis inferioribus breviter petiolatis, subovalibus, obtusis, crenatis, rugosissimis, suprà virescentibus, subtus tomentoso-incanis, supremis bracteæformibus, ovato-lanceolatis, integriusculis, integerrimisve; racemis subsecundis; calycis dente summo ovato, latiore.

T. *salviastrum*. Link et Hoffm. Flor. Lusit. tom. 1. pag. 84. tab. 2. Schreb. Unil. pag. 38. n. 33. Linn. Sp. pl. Ed. Willd. tom. 3. pag. 27.

T. *Lusitanicum*. La Marck Dict. Bot. Encycl. Meth. tom. 2. pag. 694. Brot. Fl. Lusit. tom. 1. p. 163.

Chamædrys fruticosa Lusitanica, Melissæ folio minori, flore purpureo? Tournef. Inst. R. H. pag. 205.

Radix perennis, lignosa, ramosa.

Caulis lignosus, frutescens, teres, erectus, tortuosus, pedalis ad sesquipedalis, diffuse ramosus; ramis oppositis, erectis, foliosis, tenuiter tomentosis, junioribus virescentibus, villo crispo humorem viscosum excernente opertis.

Folia opposita, patentia, parva, lamina quatuor ad sex lineas longa, duas ad tres lata, subovalia, obtusa, obtuseque crenulata, crenulis reflexis, rugosissima, supra virentia pilisque multis brevissimis tecta, subtus venosa et tomentoso-albida; suprema sub floribus bracteæformia, valde minora, ovato-lanceolata, acuta, integriuscula aut integerrima; utraque breviter petiolata, petiolo lineam ad sesquilineam, vel paulo ultra, longo.

Racemi duas ad quatuor uncias longi. Flores axillares, oppositi, solitarii, subsecundi, breviter petiolati; pedicellis lineam ad sesquilineam longis, calyce sæpe brevioribus.

Calyx campanulatus, brevi pube hirtus, striatus, quinquedentatus, dente supremo ovato, mucronato, reliquis latiore, qui quasi subulati et inter sese æquales sunt.

Corollæ tubus albidus, calyce parum longior; labium superius nullum; inferius dilute purpureum, externe hirsutum, quasi quinquelaciniatum, laciniis lateralibus ovatis, acutiusculis, æqualibus, intermedia multo maiori, rotundata, subcrenulata, concava, venosa.

Stam. filamenta didynamica, erecta, purpurea, basi pilosa, duo breviora, laciniis lateralibus corollæ labii æqualia, duo alia eis longiora. Antheræ parvæ, croceæ.

Pist. germen quadripartitum. Stylus longitudine inferiorum staminum, aut paulo eis longior. Stigmata duo tenuia, brevissima, acuta.

Semina quatuor in fundo calycis recondita, subrotunda, fusca.

Habitat in summis Herminii jugis ad ortum, præsertim circa Lacum do *Penhão*, qui sic ob rupes (vulgó *Penhas*) ei vicinas a pastoribus Herminiensibus, ut ex ipsis audivi, appellari solet.

Floret æstate. Frutex.

Sapor amarus; odor ut ille Nepetæ *Catariæ*, sed remissior et gratior. Affine Teucr. *Massiliensi*; sed differt caule lignosiori et tortuoso, foliis minoribus supra virescentibus, subovalibus nec subcordato-ovatis, rugosissimis nec parum rugosis, obtusis obtuseque crenulatis, nec acutis crenato-serratis; corollæ labio extus hirsuto, nec leviter pubescente; odore grato, nec quasi rancido.

Tab. 107

J. C. R. Sculp.

TEUCRIUM *scordium lanuginosum*

TEUCRIUM *scordium lanuginosum.*

T. foliis ovato-oblongis, serratis, lanuginosis, sessilibus; floribus axillaribus, solitariis geminisve, breviter pedunculatis; caule ramoso, hirsuto.

Lusit. *Escordio.*

T. *lanuginosum*, foliis lanceolatis, sessilibus, crenatis, villosis; floribus axillaribus, subsolitaribus, pedunculatis; calyce brevi, dentibus ovatis. Link et Hoffm. Flor. Lusit tom. 1. tab. 1. It. La Marck Dict. Bot. Encycl. Meth. Suppl. tom. 2. pag. 768.

T. *scordium.* Brot. Flor. Lusit. tom. 1. p. 164. Scordium. Grisl. Vir. Lusit. n. 1279.

T. *scordium*, foliis ovato-lanceolatis, serrulatis, sessilibus; floribus sæpius binatis. Lin. Hort. Clifort. 302. Flor. Suec. 476, 513, et Spec. pl. 790, *uti varietas.* It. La Marck Dict. Bot. Encycl. Meth. tom. 2. p. 695, *uti varietas.*

Radix teres, ramosiuscula, lineam ad sesquilineam supernè crassa, deorsum in radiculas sensim tenuiores, tandemque capillares, subdivisa.

Caulis semipedem ad pedem longus, quadrangulus, hirsutus, ex decumbenti erectus, é basi ramosus; ramis oppositis, hirsutis, foliosis, ex patentibus sursum arcuatis, infimis prope nodum radicalem procumbentibus, flagelliformibus, plus minusve reptantibus, demum adscendentibus.

Folia sessilia, ovato-oblonga, aut quasi lanceolata, obtusiuscula, serrata, dentibus acutis, perpaucis obtusis, utrinque hirsuta, juniora præsertim, pilis articulosis, subrugosa, ex viridibus incanescentia, septem ad quatuordecim lineas longa, quatuor ad septem lata.

Flores axillares, oppositi, fere omnes, seu ex maiore parte, solitarii, tantummodo in paucis axillis hinc bini, inde solitarii, vel ibidem utrinque bini, breviter pedicellati, pedicellis tenuibus, pubescentibus, duas lineas longis, et calyce longioribus.

Calyx campanulatus, unam lineam longus, villosus, quinquedentatus, dentibus ovatis, acutis, æqualibus.

Corolla non resupinata; tubus brevis, albidus; labium superius nul-

lum; inferius dilute purpureum, seu ex cærulescenti albidum, externe subpubescens, quasi quinquelaciniatum, laciniis lateralibus ovatis, acutiusculis, intermedia maiori, oblonga, obovata, emarginata.

Stam. filamenta didynamica, corollæ fauci supernè, ubi labium superius deest, incumbentia, incurva, labioque inferiori breviora. Antheræ parvæ, flavæ.

Pist. germen quadripartitum. Stylus simplex, situ et longitudine staminum, aut vix longior. Stigmata duo brevissima, tenuia, acuta.

Semina quatuor in fundo calycis recondita, subrotunda, subrugosa, fusca.

Habitat in uliginosis et fossis humentibus dumetorum inter Conimbricam et *Boarcos*, ad oram maritimam de *Trafaria* et inter Turres Veteres, *Mafra*, *Cintra* in locis aquosis, unam aliamve leucam a mari remotis. Floret æstate. Perenne.

Sapor, præsertim foliorum, alliaceus, sed remissior quàm in Allio *sativo*; sapore quoque lac animalium alliaceo inficere fertur; insuper amarus, acriusculus.

Obs. 1.° Hoc nostrum meridionale Scordium ab illo, quod in septentrionalibus Europæ regionibus spontaneum occurrit, tantummodo accidentaliter differt, nam proprietatibus verisque notis essentialibus specificis eidem est consimile, inde pro eadem specie variante, nec pro nova specifice diversa, habendum mihi esse videtur.

Obs. 2.° Neque confundendum cum Teucr. *resupinato* (Desfont. Flor. Atlant.) quod ab illo recedit floribus omnibus semper solitariis, sessilibus aut subsessilibus, corolla pallide lutea et resupinata, foliis obovatis, brevem in petiolum decurrentia, seu basi cuneiformia, ac ramis infimis non procumbentibus nec repentibus.

AJUGA IVA *heterantha*

AJUGA *Iva heterantha.*

A. foliis sublinearibus, obtusiusculis, anticè utrinque uni-bidentatisve, pilosis, oppositis, sessilibus; caulibus ramisque procumbentibus, apice surrectis; floribus oppositis, solitariis, sessilibus, plurimis penitus clausis, sicque fructiferis.

Lusit. *Iva moscada*, ou *Herva crina.*

Ajuga *Iva.* Schreb. Unilab. p. 25. Linn. Sp. pl. ed. Willd. 3. p. 11. Link Fl. Lusit. 1. p. 77. et seq.

Teucrium *Iva.* Brot. Fl. Lusit. 1. p. 163. Linn. Sp. pl. 2. p. 782. Vahl Symb. 1. p. 40. La Marck Dict. Bot. Encycl. 2. p. 698. Cavan. Icon. 2. p. 18. tab. 20. Desfont. Fl. Atlant. 2. p. 3.

Anthyllis altera. Clus. Hisp. p. 480. Hist. 2. p. 186.

Chamæpitys moschata foliis serratis. C. Bauh. Pin. p. 425.

Chamæpitys, s. Iva moschata Monspeliensium. Joh. Bauh. Hist. Pl. 3. p. 296. Moris. Hist. 3. p. 425. Sect. XI. tab. 22. fig. 3.

Chamæpitys vulgaris folio trifido, flore roseo Lusitanica. Tourn. Inst. R. H. pag. 208.

Moscharia asperifolia. Forsk. Fl. Ægypt. — Arab. *(ut gynandra habita.)* pag. 158.

Radix dura, lignosa, infernè ramosiuscula, perennis.

Caules plures ex eadem radice, sæpe longe procumbentes, demum erectiusculi, incano-villosi, quinque ad octo uncias longi, ultra medium dense foliosi et obtuse quadranguli, infernè effoliati, teretes, é casu foliorum scabri, ramosi; ramis sæpe simplicissimis.

Folia approximata, versus apicem caulis et ramorum confertiora, opposita, sessilia, utrinque villosa, subviridia, oblonga, sublinearia, antice sæpe latiora, duas ad quatuor lineas lata, unciam ad sesquiunciam longa, obtusiuscula, marginibus revoluta in medio subcanaliculata, prope apicem utrinque unidentata aut bidentata, dentibus obtusiusculis, aliqua integerrima (nulla verè serrata uspiam in hac specie vidi.)

Flores axillares, solitarii, sessiles, aut subsessiles, alii in anthesi aperti, corolla scilicet atque genitalibus extra calycem elongatis, inaperti alii, corolla nempe genitalibusque calyce inclusis et illo occultatis.

In floribus apertis calyx brevis, campanulatus, pilosus, quinquedentatus, dentibus ovatis, acutis, æqualibus, uno tantùm minore. Corolla flavescens (rubro-flavam, purpurascentem, aut roseam nullibi vidi) calyce triplo fere longior, basi tumida, supernè unilabiata; labio superiore nullo, sed ejus loco denticuli duo minimi in apice tubi; inferiore longo, trifido, laciniis lateralibus parvis recurvis, intermedia maxima emarginata quasi obcordata, extus subpubescenti. Staminum filamenta filiformia, didynama, inter duos tubi corollæ denticulos erecta, labio paulo breviora: antheræ didymæ. Pistilli ovarium quadripartitum, seu germina quatuor; stylus filiformis, staminibus paulo altior; stigmata duo tenuia. Semina sæpe quatuor, interdum tria, oblongiuscula, quasi obovata, aliquantulum incurva, punctata, calyce subglobose contracto tecta, corolla jam discussa; interdum tamen tubi corollæ basis tumida siccata intra calycem aliquantisper persistit, et simul cum illo semina tegit.

In floribus inapertis calyx similis. Corolla non penitus evolvitur, sed vix calyci longitudine æqualis evadit, et intra illum delitescit, sub forma membranæ tenuissimæ, apice mammilliformi inaperto genitalia tegens, infernè vero germina circumcirca involvens. Staminum filamenta nulla; antheræ quatuor æquales, didymæ, hinc summitati mammilliformi corollæ sessiliter adhærentes, inde stigmatibus cruciatim adeo appropinquatæ, ut quasi cum illis coalitæ videantur. Pistilli germina quatuor illis similia, quæ floribus apertis; stylus brevissimus, albus, crasse subulatus, in centro germinum situs; stigmata quasi duæ laminulæ, saturate purpurea, brevissima, antheris nimis approximata et ab illis tecta. Semina ut illa florum apertorum, et non solùm a calyce sed a corolla etiam siccata teguntur usque dum ab illo decidant, istâ tunc in quatuor lacinulas æquales obtusas cruciformes separatâ.

Habitat in solo raro ad aggeres, arvorum margines, et ad rupes calcareas circa Olisiponem, Conimbricam et alibi. Florescit apertè Maio, Junio, Julio, inaperte autem ferè toto anno. In Lusitania semper perennis est.

Planta amara, et moschum redolens: a medicis inter aperientia, cephalica, emmenagoga, anti-rheumatica et anti-arthritica medicamina enumeratur.

Obs. Hujus speciei florescentia in maximo florum numero tam in Lusitania et australi Europa quàm in Africa septentrionali usque ad Ægyptum inaperta est, et antheræ sessiles, corollæ mammillo vix visibiliter adhærentes, pistilloque subsessili quasi coalitæ plantam gynandram effingunt, et pro tali habere imponunt, ut Forskalæo

imposuerunt, sed hæc fructificationis partium facies singularis non decipiet, si planta cum aliis habitu similibus aperte florentibus comparetur. Istiusmodi variatio, sive illa, ex tempestatum favorabilium ad alias plantæ plus minusve adversas permutatione, sive ex succorum nutrientium perfecte elaboratorum defectu, sive ex alia causa veniat, in nostra Ajuga Iva annuatim semper evenire solet.

STACHYS *Lusitanica.*

St. verticillis multifloris, supremis contiguis; foliis radicalibus petiolatis, cordato-oblongis, obtusiusculis, superioribus sessilibus, ovato-lanceolatis, acutiusculis, omnibus obtuse crenatis, rugosis, viridibus, utrinque villosis, cruciatim oppositis; caule supernè lanato; calyce quinquedentato, subbilabiato, dentibus acuminato-spinulosis, tribus superioribus maioribus.

St. *germanica.* Brot. Flor. Lusit. Tom. 1. pag. 165.

St. *intermedia*, verticillis multifloris; calycibus subpungentibus; foliis oblongis, subcordatis, crenatis; caule sublanato? Aiton, Hort. Kew. vol. 2. pag. 201, et Willd. Spec. Plant. vol. 3. pag. 99. n. 7.

Eriostomum *Lusitanicum.* Link et Hoffm. Flor. Lusit. Tom. 1. pag. 105. tab. 7.

Radix plus minusve perennans, lignosa, ramosa.

Caulis annuus, solitarius, aut duo tresve ex eadem radice, erectus, pedalis ad bipedalis, interdum prope basin brevissime deflexus, et ibi subtus radicescens, simplex, seu duobus ad quatuor ramis oppositis erectisque instructus, obtuse quadrangulus, quadrisulcatus, intus farctus, medulla alba acute quadrangulata, virescens, lanatus præsertim supernè, et inter verticillos, pilis ex viridi albidis, longis, crispis, multinodibus, lente satis augescente visis.

Folia radicalia cordato-oblonga, obtusiuscula, obtuseque crenata, quatuor ad sex uncias longa, sesquiunciam ad tres uncias prope basin lata, coriacea, rugosa, venosa, supra saturate viridia, et brevibus pilis tomentosa, subtus dilute viridia et pilis longioribus villosa, petiolata, petiolo sesquiunciam ad tres uncias longo, subtus convexo, suprà conaliculato, undique lanato; infima caulis similia, sed minora, breviusque petiolata; reliqua omnia sessilia, ovato-oblonga, seu ovato-lanceolata, acutiuscula, similiter obtuse crenata, et utrinque villosa, sensim versus floriferum caulis et ramorum apicem decrescentia, et decussatim sita.

Verticilli caulem et ramos terminantes, inferiores remoti, superiores stricte approximati et in spicæ formam dispositi, subrotundi, dense multiflori, floribus sessilibus sexdecim ad viginti et ultra, omnes duobus foliis oppositis suffulti, circumcirca et intus bracteati. Folia verticillis longiora, plus minusve reflexa, ovata, acuta, in



J. C. R. Sculp.

STACHYS *Luſitanica.*

verticillis inferioribus obtuse crenata, in supremis integerrima. Bracteæ omnes lanatæ, integerrimæ, quæ infernè verticillos ambiunt, lineari-lanceolatæ, acutæ, calyci longitudine æquales aut parum longiores, duæ tamen utrinque foliorum marginibus contiguæ latiores et altiores, calycem longitudine valde excedentes; aliæ supra ipsas setaceæ, calyce paulo breviores.

Calyx subcampanulatus, sex ad octo lineas longus, decemnerveus, quinqueangularis, fere bilabiatus, quinquedentatus, dentibus inæqualibus, deorsum sensim decrescentibus, supremo paulo latiore et longiore erecto, duobus intermediis illo parum angustioribus et brevioribus patulis, infimis singulo intermedio paulo brevioribus et angustioribus leviter deflexis; omnibus acutis et rigido acumine subpungente semilineam ad lineam longo flavescente præditis, extus et intus usque ad faucem calycis lanatis, qui exinde usque ad fundum glaber.

Corolla labiata; *tubus* albidus, striatus, dentibus calycis paulo brevior, ad faucem latior et leviter arcuatus, extus glaber, infra medium utrinque fossulâ notatus, intus contra utranque fossulam circulo barbato cinctus, et ad filamentorum decurrentium basin villosus, cæterum glabriusculus, receptaculo extra scutellam nectariferam insertus: *labia* dilute purpurea, extus pilosa, intus glabriuscula; superius erectum, subovale, concavum, leviter emarginatum; inferius maius parumque longius, deflexum, oblongo-obovatum, trilobum, lobis duobus lateralibus parvis acutuisculis simul cum marginibus revolutis, intermedio maximo, subrotundo, subundulato, emarginato.

Stam. filamenta quatuor, subulata, apice leviter curvo in anthesi a labio corollæ superiore simul cum antheris tecta, illoque valde breviora, omnia corollæ tubo inserta, et usque ad illius circulum barbatum decurrentia, supernè glabriuscula, infernè valde villosa, duo superiora, seu intermedia, semper parallela, erecta et parum breviora, alia parum ab illis distantia, demum deflorata ad latera faucis recurva.

Pist. germen quadripartitum, seu potius granula quatuor obtusa, glabra, cruciatim contigua, receptaculo, ut in aliis gymnospermis labiatis, supra calycis fundum in scutellæ formam prominenti, inserta. Scutella nectarifera, minima, viridis, succosa, glabra, granula germinis cingens, ipsis paulo brevior, persistens. Stylus scutellæ fundo, in centro inter ovarii granula, insertus, et ibi quatuor in funiculos vasculares cruciatim divisus, in anthesi situ et longitudine staminum, aut paulo brevior, postea illis aliquantulum sæpe longior. Stigmata duo tenuia, brevissima, acuta.

Pericarpium nullum. Calyx in fundo semina quatuor fovens, obtusa, subtrigona, castanea, scutellâ exsuccâ siccâque infernè cincta.

Habitat in calcareis, ad ima collium, et aggeres circa Olisiponem, Conimbricam et alibi in Extremadura et Beira. Floret Maio ad Julium. Perennis.

Odor ingratus; sapor leviter adstringens. Usus ignotus.

Obs. Nimis affinis Stach. *germanicæ* et *lanatæ*, et media inter ipsas; differt a prima foliis radicalibus semper cordatis, nec ovatis, superioribus omnibus obtuse crenatis, nec serratis seu serraturis acutis imbricatis, acumine calycinorum dentium longiore et flavescente, insuper quia ex clariss. Link hiemes germanicos non fert: differt a *lanata* habitu minus lanato et valde minus candido, caulibus basi non procumbentibus, foliis radicalibus cordatis nec ovato-lanceolatis, superioribus non lanceolatis, nec utrinque albissime lanatis, calycis dentibus non brevibus submucronatis, et corollæ labio superiori emarginato, nec integerrimo. Stachys *intermedia* Aiton potius ad hanc nostram, quàm ad *germanicam* et *lanatam* referenda videtur.



MARRUBIUM *cinereum.*

MARRUBIUM *cinereum*.

M. foliis cordatis, subrotundis, crenatis, rugosis, hirsutis; calycibus pubescentibus, hypocrateriformibus, limbo decemdentato, dentibus ovatis, acutis, alternis minoribus integris bifidisve; corollæ labio superiore fisso, laciniis acutis.

M. *cinereum*. La Marck Dict. Bot. Encycl. 3. p. 719. Brot. Fl. Lusit. 1. p. 168. Link Fl. Lusit. 1. p. 117. tab. 8.

Marrubium Dictamni spurii foliis et facie. Herm. Parad. p. 200, tab. 200.

Radix lignosa, ramosa, perennis.

Caules sæpe plures ex eadem radice, pedales sesquipedales et ultra, annui, aut nonnulli infernè interdum perennantes, erecti, tetragoni, hirsuti, ramosi, ramis erectis.

Folia opposita, cordata, obtusa, fere omnia subrotunda, crenata, rugosa, hirsuta pilis subtus densioribus, suprà cineracea, infra candicantia; inferiora breviter petiolata, petiolis canaliculatis, superiora subsessilia aut sessilia.

Verticilli axillares, distincti, multiflori; floribus sessilibus. Bracteæ lineares, setaceæ, hirsutæ, calyce breviores.

Calyx tubulosus, limbo maximo, utrinque pubescenti, in anthesi plano patenti, decemdentato, dentibus quinque maioribus ovatis acutis, mucronatis, quinque aliis alternis minoribus, sæpe uno alterove denticulo acutis.

Corolla labiata, purpurascens, tubo albido illum calycis superante; labio superiore villoso, concavo, leviter arcuato, bifido, laciniis acutis; sæpe uno alterove denticulo acutis; labio inferiore trilobo, lobis omnibus obtusis, intermedio maiori integro.

Staminum filamenta didynama, longitudine labii superioris corollæ, eique simul cum stylo et stigmate bifido approximata. Semina quatuor oblongiuscula in fundo calycis inclusa.

Habitat in aridis incultis, et rupibus inter *Alcoutim* et *Mertola*, atque ex *Castello de Vide* usque *Montalvão*. Floret Junio, Julio. Perennis, et interdum suffrutex. Amarum et vix odorum.

Obs. Nimis affine Marrubio *hispanico*, et pro ejusdem varietate nonnunquam habitum; differt tamen bracteis non subulatis, calycis limbo in anthesi non plano nec patenti, sed vix patulo, nullo ex decem ejusdem dentibus subdiviso, et lobo intermedio labii inferioris corollæ non emarginato.



I. BALLOTA *vulgaris.* II. NEPETA *multibracteata.*

BALLOTA *vulgaris.*

B. foliis oppositis, ovato-subcordatis, acutis, crenato-serratis, rugosis, pubescentibus; floribus verticillato-fasciculatis, pedunculo communi solitario, partialibus subnullis; calyce tubulato, supernè ampliato, decemstriato, quinquedentato, dentibus æqualibus, ovatis, acutis, subaristatis; corollæ labio superiori hirsuto, crenato aut bifido.

Lusit. *Marroio negro.*

B. *nigra.* Brot. Flor. Lusit. tom. 1. pag. 167.

B. *fœtida*, foliis subcordatis ovatis acute crenatis, hirsutis, calyce supernè ampliato venoso, dentibus ovatis mucronatis. Link Fl. Lusit. tom. 1. p. 114.

B. *vulgaris*, foliis subcordatis ovatis crenato-serratis, hirsutis, calyce parum dilatato subcylindrico, dentibus lanceolatis, subulatis.

Id. Ibid. p. 115. ubi eam indicat ut plantam in Lusitania non reperiundam, etsi in Germania, Suecia, et alibi in Europæ borealibus frequentem esse existimet.

B. *nigra.* La Marck Dict. Bot. Enc. tom. 1. pag. 357. Illust. Gen. tab. 508. Lin. Sp. pl. edit. 1. p. 582. Ed. 2. p. 814. Ed. cur. Willd. p. 107. Flor. Suec. Edit. 2. n. 519. et 530. Savi Pis. 2. p. 57. Smith Brit. 2. p. 108... Engl. Bot. tab. 46. Poll. Palat. n. 569. Hoffm. Germ. 209. Kniph. Cent. 6. n. 209. Roth. Germ. 1. 257. et 2. 33. Crocker Fl. Siles. 2. p. 332. Scopoli Fl. Carn. ed. 2. tom. 1. p. 415. Sabb. Hort. Rom. 3. tab. 35. Desfont. Fl. Atlant. 2. p. 22. Bull. Herb. tab. 397. Haller Helv. n. 259. Villars Dauph. 2 p. 389. Allionius Fl. Pedem. 1. p. 35.

Marrubiastrum. Riv. tab. 66.

B. *fœtida.* Decand. et La Marck Fl. Franc. Moris. 5. 11. tab. 6. fig. 14.

Marrubium nigrum fætidum. Brack. Herb. tab. 136.

Marrubium nigrum fætidum, sive Ballote.
Joh. Bauh. Hist. Pl. 3. p. 318. cum Icone.

Marrubium nigrum fætidum, Ballote Dioscoridis.
Casp. Bauh. Pin. p. 230.

Ballote Math. Lac. et al. in Diosc.

Ballote, s. Ballota. Tourn. Inst. R. Herb. 185. Hort. Cliff. 311. Roy. Lugdb. 315. Fuchs. Hist. 154. Cæsalp. Pl. 445.

Ballote, seu Marrubium nigrum. Lob. Ic. 518.

Marrubium nigrum. Grisley Virid. Lusit. n. 983.

Marrubium vulgare. Clus. Hist. 2. p. 34.

B. flore albo. Tourn. J. R. H. 185. Vaill. Paris. 20. La Marck Dict. Bot. Enc. 1. p. 357. Sabb. Hort. Rom. 3. tab. 36.

B. *alba*, corolla alba, calycibus subtruncatis. Lin. Syst. Pl. tom. 3. p. 63. et Sp. pl. Ed. Willd. tom. 3. p. 108. Flor. Suec. 2. n. 540. Cam. Epit. 572.

Radix ramosiuscula, infernè longe fibrata, perennis.

Caules plures ex eadem radice, annui, aut interdum suffruticosi, erecti, pedales ad bipedales, infernè obtusiusculè quadranguli, sesquilineam ad lineas duas cum dimidia crassi, saturate virides, raro subrubentes, pilis reflexis hirsuti, ramosi; ramis oppositis, brevioribus, erecto-patulis.

Folia sæpe ovato-subcordata, acuta, crenato-serrata, denticulis sæpius obtusiusculis, supra saturate viridia rugosa, subtus pallide viridia, et nervoso-venosa, utrinque pubescentia, opposita, patentia, sensim versus apicem caulis et ramorum decrescentia, petiolata; petiolus lamina dimidio et ultra brevior, villosus, suprà canaliculatus, subtus convexus.

Flores verticilato-fasciculati, utrinque in singula foliorum axilla quinque ad novem et ultra arcte congesti, interdum secundi, sub calycis basi setis pilosis, illo dimidio brevioribus, involucrati; in superioribus axillis sæpe sessiles, in inferioribus pedunculo communi solitario tereti piloso brevi, in pedicellos brevissimos diviso, fasciculate impositi.

Calyx monophyllus, tres ad fere quinque lineas altus, tubulatus, basi angustatus, sensim ad apicem plus minusve ampliatus, potius infundibuliformis quàm hypocrateriformis, decemstriatus, extus pubescens, intus glaber, ore quinquedentato, dentibus ovatis, plus minusve acutis cum mucronè aut brevi arista, sæpe subvenosis, pilose subciliatis, omnibus æqualibus, patulis.

Corolla labiata; tubus cylindraceus, albidus, longitudine dentium calycis, seu vix longior, extus glaber, collo tamen subpubescens, interne paulo infra medium zona villosa instructus; fauce alba gla-

bra paulum dilatata. Labium superius dilute purpurascens, erectum, oblongum, sublineare, obtusum, convexo-concavum, extus usque ad oras marginales hirsutum, intus glabriusculum, nunc integrum crenatum, nunc brevissime bifidum, segmentis lateralibus uno aliove denticulo floccoso crenatis: labium inferius ex albido purpurascens, superiore latius, eoque parum longius, lente visum extus subpubescens, intus glabrum, trifidum, lacinia intermedia lateralibus ampliore et valde longiore, emarginata, obcordata lobulis deflexiusculis, laciniis lateralibus subovatis, obtusis, sæpe integerrimis, interdum obsolete emarginatis. Utrunque labium in floribus omnibus nonnunquam album.

Stam. filamenta didynama, subulata, alba, subpilosa, fauci corollæ inserta, sub ejus labio superiore recondita, illo paulo breviora, erecta, tandem sæpe divergentia. Antheræ oblongæ, didymæ, laterales, flavæ.

Pist. germen quadrifidum, viride, glabrum. Stylus filiformis, albidus, glaber, situ et longitudine staminum. Stigma bifidum, breve, tenue, acutum.

Peric. nullum. Calyx immutatè persistens in fundo semina fovet. Semina subovalia, subtriquetra, fusca, glabra, nitida.

Habitat ad silvas, ericeta, agrorum margines, sepes, vias, circa Conimbricam, urbem Portensem, Eboram, ad montes et pagos de *Cintra*, et alibi. Floret Maio ad Augustum. Perennis.

Planta amara, plus minusve fætida, inde ab omni pecore intacta relinquitur. Olim ex Dioscoride et Plinio, ejus folia ad morsus canum medendos, condylomata, ulceraque sananda in usu externo erant: in nostris Æræ Christianæ ultimis sæculis folia et verticilla inter medicamenta tonica, anti-hysterica, resolventia, et detergentia habita; decocta et infusa a medicis nonnullis ad morbos quosdam arcendos, qui a Marrubio *vulgari* depelli solent, laudata; nunc planta omnino fere oblita, et in Lusitania quod sciam tantum aliqui ruricolæ, consilio empiricorum, ejus decocto cum succo limoniorum demum adjuncto ad febres tertianas medendas utuntur, quas felici eventu sic sæpe expulsas esse asserunt.

Dioscorides de Ballote, seu Marrubio nigro, agens ei folia subrotunda, et flores albos universos assignavit. C Bauhinus illam foliis maioribus et minoribus variare solere retulit. Joh Bauhinus ei folia Melissæ et in ambitu serrata tribuit. Tournefortius nullam aliam Ballotes speciem se novisse ait quàm illam Dioscoridis, insuper eam floribus albis variare addit, et ejus florum icone corollæ labium superius integerrime delineatum edidit. Linnæus, inter alias notas characteris generici Ballotæ, labium corollæ superius crenatum apposuit, et specificum Ballotæ *nigræ* (quæ eadem Dioscoridis, Bauhinorum, et Tournefortii) in foliis cordatis indivisis serratis, calycibus

acuminatis, constituit, ut sic eam ab alterâ distingueret, quæ calycibus subtruncatis interdum in Suecia occurrere dixit; cùm verò nullas alias Ballotæ species Europæas, sive in Suecia sive alibi provenientes, commemoravit, et cùm multa Ballotæ individua Europæa sint, quæ tam foliis quàm calyce et corolla inter sese differunt, eidemque celeb. Botanico non ignota fuisse credibile, illa ad Ballotam nigram, uti varietates, ab eo relata fuisse videntur. La Marck (Dict. Bot. Encycl.) folia Ballotæ ovata, subcordata, sed absque satis cavâ emarginaturâ in basi, et crenata, in Gallia esse tradit. Allioni corollæ labium superius parum emarginatum, inferius verò trifidum, segmentis lateralibus acutis, medio plano crenato, in Pedemontio esse refert. Villars in Delphinatu ei folia subrotunda assignat, et corollæ labium superius subbifidum. Scopoli in Carniolia nulla folia cordata in hac specie invenisse ait, sed ovata et serrata corollæque labium superius bifidum, inferioris lacinias laterales acuminatas, mediam verò emarginatam et crenulatam esse asserit. Roth in Germaniæ Flora inter alias notas diagnosticas ei folia cordato-subrotunda, obtusa, inciso-serrata, et floralia ovata acuminata apposuit. Crocker in Flora Silesiæ, de ejusdem varietate maiori, ut videtur, agens folia ejus oblongo-ovata, acuminata, et dentibus latis dentata esse dixit, et labium corollæ superius sæpe emarginatum, inferius trifidum, laciniis lateralibus ovatis, intermedia emarginata: de minori autem varietate agens ei folia similiter oblongo-ovata, sed minora acutiora, et inæqualiter serrata tribuit, Linnæum suspicans eam ad manum habuisse cum characterem Ballotæ *nigræ* designavit. Ex relatis sufficienter agnoscitur quàm Ballota nigra variet; nec illa, quæ in Lusitania provenit, invariabilis; aliqua enim ejus individua præsertim ad radices montium de *Cintra* et prope Eboram in Transtagana plus minusve foliis, calyce et corollâ variantia vidi; nulla vero uspiam inveni calycibus subtruncatis, et si verè talia alicubi adsint, rara sunt, et cùm sæpe simul cum invariatis habitent, fortasse nonnisi plantæ monstrosæ seu morbosæ. Itaque tam Ballota *alba* Lin., quàm aliæ Sueciæ indigenæ, et *fœtida* aliquorum Botanicorum cum Ballota *nigra*, quæ nobis hìc acceptione latiori *vulgaris* nominatur, conjungendæ, et ut illius unicæ speciei sui generis in Europa provenientis varietates habendæ videntur.

NEPETA *multibracteata*.

N. caule subsimplici; foliis oblongis, acutis, crenatis, basi emarginatis, subtus villosis, inferioribus petiolatis; floribus verticillato-fasciculatis; bracteis lineari-subulatis, pubescentibus, calyce longioribus.

N. *violacea?* (uti dubia) Brot. Fl. Lusit. tom. 1. p. 173.

N. *multibracteata*. Lin. Sp. pl ed. Willd tom. 3. p. 55. Desfont. Fl. Atlant. tom. 2. p. 11. tab. 123. Link Fl. Lusit. tom. 1. p. 94. tab. 5.

Radix ramosiuscula, lignosa, perennis.

Caulis herbaceus, erectus, sesquipedem ad pedes duos altus, solitarius, aut aliis lateralibus ex eadem radice ortis stipatus, simplex seu parce ramosus, tetragonus, pubescens.

Folia opposita, oblonga, acuta, basi emarginata cordata seu subcordata, ibique plus minusve latiora, ora marginali usque ad apicem crenato-serrata, supra rugosa pilosaque, subtus villosa seu tomentosa, inferiora breviter petiolata, superiora subsessilia vel sessilia remotiora, inferioribus conformia.

Flores verticillato-fasciculati; verticilli sæpe plus minusve distincti, rarius approximati; singulo hinc inde in utraque foliorum axilla sæpe flores quatuor aut quinque fasciculati, quorum pedunculus communis brevis, partialis brevissimus aut interdum nullus. Bracteæ aliæ in pedicellis aliæ sub calycis basi, istoque sæpe longiores, setaceæ, acutissimæ, violaceæ seu cæruleæ, pubescentes.

Calyx tubulatus, striatus, pubescens, interdum leviter arcuatus, quinquedentatus, dentibus lineari-subulatis, setaceis, subæqualibus, hirtis.

Corolla labiata, violacea vel cærulea; tubus longitudine calycis; labium superius emarginatum, subpubescens, inferiore brevius; inferius trilobum, intermedio lobo concavo, subrotundo, integro, crenulato, rubro, punctato, lateralibus ad tubi faucem minutis, angustis.

Stam. filamenta didynama, sub labio superiore approximate posita, illoque paulo breviora. Antheræ incumbentes.

Pist. germen quadrifidum, glabrum. Stylus situ et longitudine. staminum, aut vix longior. Stigma bifidum, acutum.

Peric. nullum. Calyx in fundo semina quatuor subovata continet.

Habitat in Castanetis prope *Marvão* et ericetis in Transtagana, in arvis etiam inter *Covilhã* et *Fundão*. Floret Maio, Junio, Julio. Perennis.

Planta odore leviter aromatico, sapore amaro acriusculoque prædita. Usus ignotus. Pecori displicet.

Obs. Affinis Nep. *violaceæ* et *italicæ*, sed ab utraque differt caule subsimplici, foliis acutioribus, non nudiusculis, et præsertim bracteis omnimode diversis.

ORIGANUM *vulgare virens.*

ORIGANUM *vulgare virens.*

Or. foliis ovatis laxe subserratis, subtus hirsutis; spicis brevibus, confertis, paniculatis; bracteis ovatis, acutis, virescentibus, calyce longioribus.

Lusit. *Ouregão ordinario.*

Or. *vulgare.* Brot. Fl. Lusit. tom. 1. pag. 169.

Or. *virens.* Link Flor. Lusit. tom. 1. p. 119. tab. 9. La Marck Dict. Bot. Encycl. Suppl. tom. 4. p. 186.

Radix lignosa, ramosa, perennis.

Caules solitarii, aut pauci ex eadem radice, erecti, obsolete tetragoni, virides, aut interdum subrubentes, hirsuti, pedales ad sesquipedales, supernè ramulosi; ramis brevibus, pubescentibus, floriferis.

Folia opposita, breviter petiolata, internodiis triplo et ultra longiora, ovata, acuta, aut interdum obtusiuscula, distanter et brevissime serrata, viridia, supra glabriuscula, subtus et margine villosa, nervosa, sex od octo lineas lata, decem ad tredecim longa.

Paniculæ spicarum coarctatæ in summitate caulis ramulorumque brevium axillarium. Flores in spicam strobiliformem tetragonam brevem dispositi, sessiles aut subsessiles. Bracteæ sub singulo flore imbricatæ, ovatæ, acutæ, integerrimæ, virescentes, raro apice coloratæ, glabræ, nonnullæ ex infimis subciliatæ, omnes calyce longiores et sæpe corolla breviores.

Calyx sesquilineam longus, extus striatus, pubescens, punctis resinosis conspersus, intus fauce villosus, non bilabiatus, sed quinque dentibus acutis subæqualibus, nonnullis vix latioribus, terminatus.

Corolla alba, labiata; tubus compressus, apice subpubescens, calyce paulo altior; labium superius erectum, obtusum, emarginatum; inferius sæpe longius, trilobum, lobis obtusis, integris, intermedio longiore. Stamina didynama, exclusa, divergentia, duo externa sæpe corollâ altiora. Pistilli stylus longe exsertus; stigma bifidum. Semina quatuor ovata in fundo calycis recondita.

Habitat in dumetis, rupestribus, ad silvarum margines et sepes circa Conimbricam et alibi præsertim in Lusitania boreali. Floret æstate. Perenne. Planta amaricans, subacris, grate odora: viribus ad Or.

Majoranam accedit, sed oblita, et nunc vix ad condimenta usitata.

Obs. Bractearum raro aliquæ corollâ longiores sunt, nec omnes semper virescunt, nonnullæ enim interdum apice obscure purpurascunt; corollæ magnitudo, sicuti etiam labii superioris altitudo, ratione soli et expositionis, variabilis; nostrum igitur Origanum undequaque Origano *vulgari* adeo affine, ut pro eodem tantummodo aliquantillum variante habendum existimem.

Tab. 113.



ORIGANUM *creticum macrostachyum.*

ORIGANUM *creticum macrostachyum.*

Or. foliis ovatis, superioribus integerrimis, aliis distanter subserratis, subtus pubescentibus; spicis paniculatis, laxè aggregatis, prælongis, rectis, obsoletè tetragonis; bracteis late lanceolatis, glabris, calyce duplo longioribus.

Lusit. *Ouregão longal.*

Or. *creticum.* Brot. Fl. Lusit. 1. p. 169.

Or. *macrostachyum.* Link Fl. Lusit. 1. p. 120. tab. 10. La Marck Dict. Bot. Encycl. Suppl. tom. 4. p. 187.

Radix lignosa, ramosa, perennis.

Caules erecti, novem ad viginti uncias alti, virides aut interdum subpurpurascentes, subvillosi, tetragoni, ramis oppositis, infernè brevibus, supernè longioribus, instructi.

Folia opposita, breviter petiolata, decem ad tredecim lineas longa, ovata, oblongiuscula, acuta, aut interdum obtusiuscula, superiora caulis integerrima, inferiora distanter serrata, supra viridia et glabriuscula, subtus pallide viridia, aut interdum glaucescentia, punctis resinosis conspersa, nervosa, nervis villosa, margineque pilis brevibus ciliata. Spicarum paniculæ caulem ramosque terminant. Spicæ minus coarctatæ quàm in præcedenti specie sunt, atque brevissime pedicellatæ, rectæ, tredecim ad quindecim lineas longæ, obsolete tetragonæ, et post anthesin fere teretes. Bracteæ laxiusculæ, late lanceolatæ, seu ovato-lanceolatæ, plus minusve acutatæ, virides, glabræ, tres lineas longæ, duas latæ, calyce duplo longiores, corolla vero sæpe aliquantùm breviores.

Calyx brevis, extus pubescens, striatus, punctisque resinosis conspersus, intus fauce villosus, quinquedentatus, dentibus subæqualibus, ovatis, acutis. Corolla, organa sexualia, et semina ut in præcedente Origano.

Habitat in dumetis collium circa Olisiponem, *Thomar*, et alibi in Lusitania meridionali. Floret Maio, Junio, et æstate. Perenne.

Sapore, odore, viribus et usu præcedenti simile; ab illo tamen dif-ſert præsertim foliis integerrimis subintegerrimisque, spicis laxioribus inter sese, valde longioribus et tandem subteretibus, sicuti etiam bracteis plus altis et minus arctis; cùm autem Origano *cretico* plus affine, et cum illo notis specifice essentialibus concordare, nec ab illo, nisi ut varietas differre videatur, ab illo non separavi.

Tab. 114.

LAVANDULA *viridis.*

LAVANDULA *viridis.*

Lav. foliis sessilibus, lineari-lanceolatis, rugosis, villosis, margine revolutis, integerrimis, utrinque viridibus; spicis longis, comosis; bracteis sæpe indivisis; caule villoso.

Lusit. *Rosmaninho verde.*

Lav. *viridis* Link Fl. Lusit. 1. p. 91. tab. 4. Lin. Sp. pl. ed. Willd. 3. p. 61. Ait. Hort. Kew. 2. p. 288. L' Herit. Sert. Angl. p. 19. La Marck Dict. Bot. Encycl. Suppl. tom. 3. p. 308.

Stæchas Lusitanica foliis viridibus lanuginosis. Tourn. Inst. R. H. pag. 201.

Stæchas viridis. I. Bauh. Hist. Pl. 3. 2. p. 279.

Stæchas flore albo, et alia rosmarini folio, Grisley Vir. Lusit. n. 1366-67. an potius ista quàm Lav. *Stæchas* Lin. incertum.

Radix lignosa, ramosa, supernè crassiuscula, perennis.

Caules sæpe plures ex eadem radice, suffruticosi, erecti, quadranguli, supernè villosi, diffuse ramosi; ramis alternis, longis, erectis.

Folia opposita, internodiis longiora, sessilia, lineari-lanceolata, acuta, utrinque viridia, rugosa et villosa, villo brevi crispo, marginibus integerrimis revoluta, superiora longiora et latiora, ex illorum axillis alia minora plura.

Spicæ in summitate nuda caulis et ramorum pedunculatæ, obsolete tetragonæ, et demum subteretes, coarctatæ, sesquiunciam ad uncias duas longæ, apice comatæ. Flores sessiles. Bracteæ imbricatæ, unifloræ, virides, lanuginosæ, calyce longiores, ovato-subrotundæ, brevissime acutatæ, sæpe indivisæ, interdum tamen subtrilobæ seu subsinuatæ; quæ spicæ comam efficiunt longiores, virides, etiam integræ.

Calyx cylindraceus, brevis, dentibus quatuor parvis æqualibus, quinto autem maiori terminatus. Corolla labiata, alba (luteam a Dalechampio et I. Bauhino relatam nullibi vidi) tubus calyce parum altior; labium superius obcordatum, inferius trilobum, lobis omnibus obtusis, intermedio paulo maiori. Stamina didynama, é tubo non exserta. Stylus longitudine staminum; stigma bilobum. Semina quatuor ovato-subrotunda in fundo calycis recondita.

Habitat in collibus inter *Alcoutim* et *Mertola*, etiam in *Monchique* et alibi in Algarbiis. Floret vere. Suffrutex.

Planta amaricans, subadstringens, odorata. Nimis affinis Lav. *Stœchadi pedunculatæ*, et pro illius varietate sæpe habita; differt tamen specifice foliis superioribus longioribus latioribusque, omnibus villosis, rugosis, viridibus, nec tomentosis incanis, bracteis comaque viridibus et sæpe indivisis.

Tab. 115.



SIDERITIS *linearifolia.*

SIDERITIS *linearifolia*.

Sid. foliis sessilibus, angustis sublinearibus, acutis, subintegerrimis, glabriusculis; bracteis late ovatis, dentato-spinosis, calyce longioribus.

Sid. *linearifolia*. La Marck Dict. Bot. Encycl. tom. 2. pag. 168. Brot. Fl. Lusit. 1. p. 161. Link Fl. Lusit. 1. p. 100. tab. 6.

Radix lignosa, infernè ramosiuscula, vage fibrosa, perennis.

Caulis erectus, infernè lignosus, ramosus; ramis gracilibus, erectis, tetragonis, pubescentibus, aut interdum fere glabris.

Folia opposita, sessilia, subviridia, glabriuscula, sublinearia, acuta, versus basin angustata, superiora integerrima et internodiis breviora, inferiora distanter et obsolete denticulata internodiisque longiora.

Flores verticillato-spicati; verticilli quinque ad septem in caulis et ramorum summitate, glabri, inter sese distincti, sexflori, sessiles uti etiam flores. Bracteæ late ovatæ, venosæ, acutiusculæ, denticulato-spinosæ, subconcavæ, calycibus longiores.

Calyx subcampanulatus, venosus, quinquedentatus; dentibus subæqualibus, ovatis, acuminatis, spinulosis. Corolla labiata, flava, calyce longior; labio superiore erecto, lineari, planiusculo, obtuso, bifido, inferiore trifido, laciniis omnibus obtusis, intermedia longiore et duplo latiore.

Stamina didynama, simul cum antheris intra corollæ tubum recondita et illius fauce breviora. Pistilli germina quatuor: stylus vix staminibus longior: stigmata duo, inferiore vaginante superius.

Semina quatuor in sinu calycis persistentis contenta, et receptaculo affixa, obovata, fusca.

Habitat in solo calcareo, et rupium rimis inter *Loulé*, *Faro* et *Tavira*, in *Moncarapaxo* et alibi in Algarbiis et Transtagana meridionali. Floret ex Junio ad Augustum. Suffrutex.

Planta subamara, acriuscula. Usus ignotus.

Obs. Nimis affinis Sideriti *incanæ* et *hyssopifoliæ;* sed a prima differt habitu non tomentoso-incano, bracteis calyce longioribus, ovatis nec cordatis, laciniis lateralibus labii corollæ inferioris obtusis nec acutis, et intermedia non quadruplo latiore; a secunda vero differt foliis non ellipticis, non obtusis nec penitus glabris, verticillis non approximatis, illorum spica longiore, et bracteis ovatis nec cordatis.

Tab. 116.



Tab. 116.



THYMUS *albicans.*

THYMUS.

In hoc Genere, cujus species plurimæ in Lusitania, calycis tubus cylindricus, supernè non ampliatus, intus ad faucem villo clausus; limbus bilabiatus, superiore labio tridentato, inferiore bidenteo, seu biseto: corolla labiata, labio superiore planiusculo, emarginato aut bifido, inferiore trilobo, lobo medio integro, latiore: Stamina didynamica: Pistilli germen quadripartitum, stylus unicus, stigma bifidum: Semina quatuor in fundo calycis supernè angustati contenta.

Plantæ sæpe fruticosæ, aromaticæ, suaviter odoræ.

THYMUS *albicans.*

Th. Caulibus fruticosis, erectis, ramosis; foliis ovato-lanceolatis, acutiusculis, tenuiter tomentosis, albidis, utrinque punctatis; capitulis globosis, terminalibus axillaribusque pedunculatis; bracteis ovatis, acutis, margine villoso-ciliatis; calycis dentibus setaceis, ciliatis, subæqualibus.

Lusit. *Tomilho alvadio.*

Th. *albicans.* Link Fl. Lusit. 1. p. 124. tab. 11.

Caules plures ex eadem radice lignosa perenni, fruticosi, teretes, erecti, novem ad quindecim uncias alti, ramosissimi; ramis tenuiter tomentosis, erectis.

Folia opposita, sessilia, subsessiliave, parva, duas ad fere tres lineas longa, lineam ad sesquilineam lata, planiuscula, ovato-lanceolata, acutiuscula, integerrima, margine reflexiuscula, subtomentosa, albicantia, utrinque æqualiter punctata, punctis parcis, resinosis.

Flores capitati; capitulo uno caulem terminante, perpaucis aliis infra illud axillaribus, oppositis, solitariis, pedunculatis, omnibus globosis, diametro trium linearum, aut paulo ultra, erectis, bracteatis: bracteæ imbricatæ, concavæ, ovatæ, breviter acuminatæ, subtus tomentoso-incanæ, subcarinatæ, margine villoso-ciliatæ, utrinque punctatæ, inferiores seu exteriores calycibus longiores, duas lineas

aut paulo ultra longæ, sesquilineam prope basin latæ, superiores seu interiores minores.

Calyx tubulosus, villosus, unam lineam aut paulo ultra longus; dentes setacei, ciliati, superiores angustiores, inferioribus vix breviores. Villo faucis incluso.

Corolla alba, calyce duplo longior; tubo tenui, longo; labio superiore emarginato.

Stamina didynama, exerta, quorum duo corolla breviora, duo alia illâ sæpe longiora. Stylus situ et longitudine staminum longiorum.

Habitat in collibus siccis, dumetis, et locis saxosis ex *Tavira* usque ad *Alcoutim*, et alibi in Algarbiis. Floret Junio, Julio. Frutex suavissimè olens.

Tab. 117.



THYMUS *capitellatus*.

THYMUS *capitellatus.*

Th. caulibus fruticosis, erectis; foliis subsessilibus, ovato-lanceolatis, supra viridibus, margine revolutis; capitulis terminalibus, globosis; bracteis late ovatis, nervosis, virentibus; calyce glabriusculo, dentibus superioribus ovatis latioribus; corolla parum calycem superante.

Th. *capitellatus.* Link Fl. Lusit. 1. p. 125. tab. 12.

Th. Lusitanicus cephalotos capitulo minore. Tourn. Inst. R. H. p. 196.

Radix lignosa, ramosa, perennis.

Caules sæpe perpauci ex eadem radice, pedales ad bipedales, lignosi, erecti, ramosi; ramis oppositis, foliatis, glabriusculis, seu tenuissimo tomento incano-virescentibus.

Folia parva, oblongiuscula, tres lineas aut paulo ultra longa, sesquilineam ad lineas fere duas lata, opposita, petiolo brevissimo, ovato-lanceolata, integerrima, margine reflexa, apice obtusiuscula, supra viridia, creberrimis punctis, pilisque densis minutissimis instructa, subtus minus crebrò punctata et tomento tenui pallescentia.

Capitula caulem ramosque terminantia, globosa, trium quatuorve linearum diametro. Bracteæ imbricatæ, late ovatæ, tres lineas longæ, duas cum dimidia latæ, acuminatæ, concavæ, margine revolutæ, suprà foliis similes, subtus nervosæ, subtomentosæ, pallidæ; calycibus longiores sunt.

Calyx glabriusculus, seu tantùm pilis minutissimis instructus, duas lineas cum dimidia longus, resinosè punctatus; dentes superiores late ovati, acuti, inferiores setacei, parum ciliati uti etiam superiores; villo faucis subincluso.

Corolla alba, tubo calycem parum superante, collo pilis viscosis interdum instructo; labio superiore emarginato. Stamina duo altiora vix corollâ longiora; stylus illis parum altior.

Habitat in dumetis sabulosis trans Tagum ex *Almada* usque ad *Cabo de Espichel*, et alibi in Lusinania meridionali. Floret Aprili, Maio, Junio. Frutex aromaticus, odore camphorato.

Obs. Differt á præcedente, cui affinis, foliorum colore viridi et eorum marginibus multo magis revolutis; bracteis latioribus nervosisque; calyce glabriusculo, ejusque dentibus superioribus multo latioribus, atque corollæ tubo parum calycem superante, nec illo duplo longiore.

Tab. 118

THYMUS *cephalotos*

THYMUS *cephalotos.*

Th. caule erecto; foliis linearibus, integerrimis, ciliatis; capitulis maximis, oblongis; bracteis maximis, latissime lanceolatis, integerrimis, acuminatis, coloratis, impunctatis, flores valde superantibus.

Tomilho cabeçudo.

Th. *cephalotus.* Lin. Sp. pl. ed. Willden. 3. p. 144. Vahl. Symb. 3. p. 77. La Marck Dict. Bot. Encycl. tom. 7. p. 650. Brot. Fl. Lusit. 1. p. 175. Link. Flor. Lusit. 1. p. 127. tab. 13.

Thymus Lusitanicus cephalotos, squamis capitulorum amplioribus Tourn. Inst. R. H. p. 196.

Tragoriganum Dictamni capite, Hispanicum. Barrel. Icon. Rar. tab. 788. Baccon us. 2. p. 50. tab. 48.

Caules plures ex eadem radice lignosa ramosa, fruticosi, teretes, subtortuosi, erecti, semipedales ad pedales, glabri, ramosissimi; ramis oppositis, nonnullis alternis, subdivisis, spissis, tomentoso-subvillosis, erectis, foliatis.

Folia opposita, patentia, approximata, sessilia, angustissima, linearia, acuta, tres ad quinque lineas longa, integerrima, marginibus revoluta, supra punctata, tenuiterque pilosa. Nonnulla minora in axillis ad ramulorum exortum subfasciculata.

Capitula caulem et ramos terminantia, maxima, oblonga, acutiuscula. Bracteæ imbricatæ, longe lateque lanceolatæ, acuminatæ, integerrimæ, glabræ, ciliatæ, impunctatæ, oblique extrorsum nervosæ, purpurascenti-violaceæ, floribus multo longiores.

Flores subsessiles. Calyx tenuiter striatus, subhirsutus; labium superius latum, dentibus brevissimis, inferiorioris duobus setaceis, ciliatis. Corolla dilute violacea; tubus calyce longior, interdum subvillosus.

Habitat in ericetis ex *Faro* usque ad *Monchique* et alibi in Algarbiis, etiam trans Tagum in dumetis sabulosis, præsertim ex *Almada* usque ad vicum *Zezimbra.* Floret Maio, Junio, Julio. Frutex odore leviter aromatico, et quasi terebinthinaceo.

THYMUS *villosus*.

Th. caule erecto, infernè ramoso; foliis linearibus, subsetaceis, pilosis; capitulis magnis, terminalibus, oblongiusculis, obtusis, subrotundisve; bracteis ovatis, dentato-serratis.

Tomilho peludo.

Th. *villosus*. Lin. Sp. pl. et Willden. 3. p. 145. La Marck Dict. Bot. Encycl. tom. 7. p. 651. Brot. Flor. Lusit. 1. p. 175. Link Fl. Lusit. 1. p. 128. tab. 14.

Thymus Lusitanicus, folio capillaceo villoso, capite purpurascente oblongo, rotundove (*interdum*).
Tourn. Inst. R. H. p. 196.

Caules plures ex eadem radice lignosa, fruticosi, teretes, filiformes, erecti, sex ad novem uncias alti, ferè é basi ramosi; ramis dense pilosis, erectis, foliosis.

Folia opposita, sessilia, angustissima, acuta, subsetacea, integerrima, marginibus reflexa, ciliata, cæterum glabriuscula, viridia, suprà punctata, omnia sæpe approximata, et in eorum axillis ad ramorum exortum alia minora subfasciculata; interdum tamen superiora solitaria, distantia.

Capitula caulem et ramos terminantia, crassa, nunc oblongiuscula obtusa, nunc subrotunda. Bracteæ imbricatæ, ovatæ, dentato serratæ, nervosæ, pilosiusculæ, margine ciliatæ, calyce valde longiores, superiores purpurascenti-violaceæ.

Flores bracteis longiores, subsessiles. Calyx substriatus, glaber, dentibus tribus superioribus brevibus, duobus inferioribus setaceis ciliatis. Corolla purpurea, seu dilute violacea.

Habitat in dumetis trans Tagum in territorio de *Almada*, et ex *Cintra* usque ad *Obidos*, et alibi in Extremadura. Floret Maio, Junio, Julio. Frutex odore grato, quasi mastichino.

THYMUS *villoſus.*

THYMUS *glabratus*

THYMUS *glabratus.*

Th. caulibus prostratis, repentibus, tetragonis, angulis pubescentibus; foliis subsessilibus, distantibus, oblongo-lanceolatis, integerrimis, glabris, basi ciliatis; floribus terminalibus, aliis capitatis, verticillato-spicatis aliis.

Lusit. *Serpão glabro.*

Th *serpyllum.* Brot. Fl. Lusit. 1. pag. 174. Ex fide P. Christophori *dos Reys.*

Th. *glabratus.* Link Fl. Lusit. 1. p. 130. tab. 15.

Radix lignosa, ramosa, vage fusa, perennis.

Caules plures ex eadem radice primaria crassa, debiles, tenues, basi lignosi, tetragoni, aciebus densè pilosi, cæterum glabri, parum purpurascentes, ramosi, procumbentes, reptantes, ubi autem florent paululum adscendentes.

Folia opposita, distantia, subsessilia, inferiora et in ramis junioribus longiùs petiolata latioraque, viridia, plana, glabra, oblongo-lanceolata, acutiuscula, integerrima, basi ciliata, margine reflexa atque scabriuscula, utrinque punctata, punctis resinosis, quatuor quinqueve lineas longa, sesquilineam ad lineas fere duas lata.

Flores caules et ramos terminant, sæpe verticillato-spicati, interdum tamen nonnulli ibidem capitati; omnes breviter pedicellati.

Calyx brevissimus, lineam ad sesquilineam fere longus, pubescens, pilis brevibus, punctatus, punctis resinosis; dentibus superioribus ovatis, acutis, brevè ciliatis, inferioribus setaceis, longè ciliatis: villo faucis exerto.

Corolla violacea, pubescens, punctis resinosis punctata, labio superiore emarginato. Stamina duo maiora corollam paulo superantia, divergentia: Antheræ purpurascentes.

Habitat in *Serra do Rebordão*, prope *Montalegre*, *Montezinho* et alibi in montosis tam in Transmontana quàm Interamnia. Floret Junio, Julio. Frutex, odore Thymi *vulgaris.*

Obs. Differt a Thymo *serpyllo*, cui nimis affinis, foliis angustioribus minusque obtusis, glaberrimis, caulibus glabris, tantummodo pubescentibus in angulis, corolla minori et odore Thymi *vulgaris;* sed hæ differentiæ vix ad speciem a serpyllo diversam constituendam sufficiunt. Vires ut serpylli, et pro tali in Transmontana et Interamnia a Medicis et Pharmacopólis usitatus, qui eum esse serpylli varietatem existimant.

THYMUS *zygis ſylveſtris.*

THYMIS *Zygis silvestris.*

Th. caule fruticoso, erecto, tenuiter villoso-tomentoso; foliis sessilibus, linearibus, obtusis, enerviis, margine revolutis, pubescentibus, basi ciliatis; floribus verticillato-spicatis.

Th. *Zygis* Lin. Sp. Pl. ed. Willden. 3. p. 140. La Marck Dict. Bot. Encycl. tom. 7. p. 644. Brot. Fl. Lusit. 1. p. 176.

Th. *silvestris*. Link Flor. Lusit. 1. p. 132. tab. 16.

Thymum angusto longioreque folio. Barrel. Icon. 777.

Caules plures ex eadem radice profunde lateque ramosa, frutescentes, erecti, octo ad tredecim uncias alti, tortuosi, tomentoso-villosi, ramosissimi; ramis oppositis, nonnullis alternis, erectis, tenuiter incano-villosis.

Folia opposita, approximata, sessilia, anguste linearia, et quasi filiformia, superiora paulo latiora, duas ad quatuor lineas longa, obtusa, integerrima, margine valde revoluta, convexa, enervia, utrinque punctis resinosis adspersa; undique pilis brevibus arrectis tecta, basi ciliata; in eorum axillis ad ramulorum exortum alia minora fasciculata.

Flores breviter pedicellati, verticillato-spicati; spicæ in apice caulium et ramorum sesquiunciam ad uncias duas longæ; verticilla laxa. Folia floralia verticillorum ut caulina, sed breviora et angustiora.

Calyx sesquilineam ad lineas duas cum dimidia longus, tenuiter tomentosus, bilabiatus; labio superiore tridentato, dentibus brevibus paulo ultra semilineam longis, margine ciliatis, dentibus duobus inferioribus unam lineam aut paulo ultra longis, setaceis, crebrius longiusque ciliatis.

Corolla purpurascens aut interdum albida, hirta, punctis crebris resinosis respersa, labio superiori emarginato. Stamina corollâ breviora. Stylus staminibus parum longior.

UNIVERSIDAD DE GRANADA Hospital Real Biblioteca

Habitat in collibus de *Arrabida*, *Azeitão*, et circa *Setubal*, atque alibi trans Tagum ad austrum. Floret Aprili, Maio, Junio. Frutex.

Obs. Planta odore Thymi *vulgaris*, cui nimis affinis, sed diversa præsertim foliis basi ciliatis, nec ovatis; propriore autem affinitatis gradu ad Thymum *Zygis*, quàm ad illum aliosque Thymos accedere videtur, ideo ab isto specificè non sejungendum existimavi.

Tab. 122.



THYMUS *zygis variabilis.*

THYMUS *Zygis variabilis.*

Th. caulibus fruticosis adscendentibus, erectiusculis aliis, pubescentibus, ramosis; foliis linearibus, sublanceolatis aliis, basi ciliatis, obtusis, margine reflexiusculis, supra glabris; floribus verticillato-spicatis, verticillis inferioribus laxe approximatis, aut remotis.

Lusit. *Serpão dos Montes.*

Th. *variabilis.* Link Flor. Lusit. 1. pag. 134. tab. 17.

Radix lignosa, ramosa, collo crasso nodoso, perennis.

Caules plures é nodo radicis, frutescentes, exteriores ex declinato assurgentes, seu obliquati, interiores plus minusve erecti, octo ad tredecim uncias longi, pubescentes, ramosi; ramis purpurascentibus, subtetragonis, undique pilosis, pilis brevibus, recurvis, adpressiusculis.

Folia opposita, alia præsertim juniora linearia, sessilia, tres quatuorve lineas longa, internodiis æqualia, aut vix breviora, obtusiuscula, angustissima, valde convexa, margine reflexa, creberrimè punctata, pilis brevibus arrectis scabra, ut in Thymo præcedenter descripto; adultiora sex septemve lineas longa, internodiis sæpe multo breviora, sesquilineam lata, ad basin angustata, lineari-lanceolata, obtusa, integerrima, subplana, margine reflexiuscula, supra viridia, glabra, parce punctata, subtus pallida, lineata, pilosa, pilis raris brevibus, adpressis, curvis. In axillis ad ramulorum exortum alia minora fasciculata.

Flores breviter pedicellati, verticillato-spicati: spicæ sesquiunciam ad quatuor uncias longæ: verticilli superiores pluriflori, inferiores nunc remoti, nunc omnes laxe approximati.

Calyx brevis, vix sesquilineam longus, hirtus; dentes superiores latiusculi, acuti, inferiores setacei, ciliati. Corolla dilute liliacea, labio superiore emarginato. Stamina corollam subæquantia.

Habitat circa *Monte-Junto.* Floret Maio, Junio. Frutex odore Thymi *serpylli.*

Obs. Planta caulium directione, foliorum longitudine et latitudine, uti eorum inter sese verticillorumque distantiâ, nimis varians: hybrida ex Th. *serpyllo* et Th. *Zygis* esse videtur; specimina collecta, et individua omnia, quæ observavimus, plus ad istum quàm ad illum affinitate accedere visa sunt, quapropter ipsi utpote variato retulimus.

EUPHRASIA *aspera*

EUPHRASIA *aspera*.

Euph. foliis ovalibus, obtuse serratis, rugosis, lineatis, asperis; caule tereti, erecto, supernè scabro, ramoso; bracteis peracutis, subsetaceis, calyce paulo brevioribus; staminibus corollam non superantibus.

Euph. *aspera*. Brot. Fl. Lusit. tom. 1. pag. 185. sed non Willd. in Lin. Sp. pl.

Lasiopera aspera. Link Flor. Lusit. 1. p. 302. tab. 59.

Euphrasia aspero valde fragili folio montana perennis. Grisley Virid. Lusit. n. 37.

Radix lignosa, infernè ramosiuscula, perennis.

Caules solitarii, aut pauci ex eadem radice, erecti, pedem ad sesquipedem alti, teretes, infernè læves, supernè scabri, ramosi; ramis oppositis, erectis, pilosis (pilis rigidis adpressis sparsis) superioribus longioribus, floriferis.

Folia opposita, patentia, sessilia, internodiis multoties breviora, ovalia, obtusiuscula, rugosa, lineata, obtuse et grosse serrata, undique scabra ob pilos rigidos basi incrassatos adpressos, novem ad undecim lineas longa, quinque ad octo lata, cito decidua.

Spicæ caulem et ramos terminantes. Bracteæ unifloræ, inferiores steriles, superiores maiores et laxiores, omnes acutissimæ, subsetaceæ, crassiusculæ, canaliculatæ, integerrimæ. Flores subsessiles, quasi imbricati, et cum bracteis ramos superiores fere totos occupant.

Calyx bracteis parum longior, tubulatus, subangulatus, scaber, quadrifidus, dentibus oblongis, subulatis.

Corolla obscure purpurea, labiata; tubus calyce duplo fere longior; labium superius inferiore parum longius, subintegrum seu obsolete emarginatum, concavum, basi flavum, limbo saturate purpureum; inferius fusco-purpureum, trilobum, lobis integris, obtusis, intermedio maiori.

Staminum filamenta didynama, per paria approximata, maiora longitudine labii superioris et sub illo recondita. Antheræ hirsutæ, didymæ, infernè bimucronatæ.

Pistilli germen ovatum, pubescens. Stylus situ staminum, illis tamen et labio superiore longior. Stigma integrum, capitellatum.

Capsula ovato-oblonga, subturgida, obtusa cum acumine, hirsuta, bivalvis, bilocularis, polysperma; dissepimento contrario.

Habitat in dumetis inter *Boarcos* et *Catanhede*, in *Monte-Junto*, *Serra da Arrabida*, et alibi in Beira et Extremadura. Floret æstate. Suffrutex.



EUPHRASIA *tenuifolia*.

EUPHRASIA *tenuifolia.*

Euph. foliis subsetaceo-linearibus, integerrimis; caule tereti, gracili, erecto, ramoso; corollarum tubo tenui, calycem vix superante; staminibus corollam æquantibus.

Euph. *tenuifolia.* Pers. Synopsis Plant. 2. p. 150. La Marck Dict. Bot. Encycl. Suppl. tom. 2. 596. (uti varietas.)

Euph. *linifolia.* Brot. Fl. Lusit. tom. 1. p. 105. (non Lin)

Lasiopera *tenuifolia.* Link Fl. Lusit. 1. p. 303. tab. 60.

Pedicularis Lusitanica pratensis gramineo folio.
Tourn. Inst. R. H. p. 172.

Radix subramosa, annua.

Caulis teres, gracilis, erectus, pedalis ad bipedalis, infernè effoliatus, supernè subpubescens, pilis sparsis appressis, ramosissimus; ramis oppositis, longis, subdivisis, filiformibus, erectis.

Folia opposita, sessilia, linearia, fere setacea, vix acutiuscula, integerrima, supra canaliculata, infra subpubescentia præsertim prope basin, semiunciam aut paulo ultra longa, remota, internodiis multo longiora; inferiora caulis præcocissime delabentia.

Flores in summitate caulis et ramorum spicati, sessiles, approximati, alterni, secundi. Bracteæ sub singulo flore binæ, foliis similes.

Calyx tres quatuorve lineas altus, bracteis sæpe longior, compressiusculus, subpubescens, quadrifidus, dentibus quatuor oblongis, subulatis, duobus paulo brevioribus.

Corolla labiata, flava; tubus tenuis, calycis dentibus semilineam ad lineam altior; labium superius erectum, convavum, integrum; inferius superiore non longius, planum, trilobum, lobo intermedio lateralibus paulo longiore, fere rhombeo.

Staminum filamenta didynama, sub labio corollæ superiore sita, et ibi apice curvata. Antheræ didymæ, infernè bimucronatæ, floccosæ; duæ superiores labio superiori æquilongæ, aut interdum fere exertæ.

Pistilli germen ovatum. Stylus situ staminum, et altiorum longitudine. Stigma obtusum, capitellatum.

Capsula oblonga, sæpe longitudine calycis, compressiuscula, apice rotundata, venosa, margine hirsuta, bilocularis, polysperma; dissepimento contrario.

Habitat in dumetis de *Caparica*, in ericetis sabulosis circa *Viseu*, *Montemor*, *Catanhede* et alibi in Beira et Extremadura. Floret æstate. Annua.

Obs. Nimis affinis Euph. *linifoliæ* Lin. et Euph. *longifloræ*; at differt a prima staminum filamentis extra corollæ labium superius non exertis, et antheris floccosis; a secunda vero differt corollis brevibus, nec calyce triplo longioribus, et foliis distantioribus.



ANTIRRHINUM *majus latifolium*

ANTIRRHINUM.

Huic Generi nunc apponimus species eas tetranthericas didynamicas monostylias, quarum calyx quinquepartitus, corolla personata, basi vel gibbosa (quæ Antirrhina vera aliquorum neotericorum) vel calcarata (quæ Linariæ aliorum) limbo bilabiato, superiore labio bilobo, inferiore trilobo cum palato prominente inter labia convexo clauso; capsula bilocularis, variæ in variis dehiscentiæ et figuræ; semina plurima, receptaculo fungoso, quod utrinque dissepimento adnatum est, adhærentia. Illas verò, quarum corollæ etsi calcaratæ rictu tamen aperto sunt et palato destituuntur, ad novum genus Anarrhinum dictum seponimus.

ANTIRRHINUM *majus latifolium.*

Ant. caule frutescente, erecto, supernè villoso; foliis ovato-lanceolatis, acutiusculis, subglabris, inferioribus plerunque oppositis; floribus racemosis; calyce brevi pubescenti, laciniis ovatis inæqualibus, corolla basi gibbosa, ampla, sæpe purpurea.

Lusit. *Herva Bezerra.*

Ant. *maius* Brot. Fl. Lusit. 1. p. 199. Lin. Sp. pl. ed. Willden. 3. p. 256. *varietas a*, et sub eadem varietate La Marck Dict. Bot. Encycl. tom. 4. p. 364. C. Bauh. Pin. 211. Villar Delph. 2. p. 441.

Antirrhinum maius semperflorens. Grisley Virid. Lusit. n. 107.

Ant. *latifolium.* Link Fl. Lusit. 1. p. 259. tab. 50. Barr. Ic. 655. Obs. 190. *varietas* Mill. Dict. n. 4. Bocc. Mus. 2. p. 49. tab. 41.

Ant. Lusitanicum flore rubro elegantissimo.
Tourn. Inst. R. H. p. 168.

Radix lignosa, ramosiuscula, perennis.

Caules plures ex eadem radice frutescentes, aut suffruticosi, teretes, erecti, infernè glabri, supernè pubescentes, pilis sparsis guttula viscosa terminatis, pedales ad bipedales, ramosi; ramis erectis, alternis.

Folia breviter petiolata, inferiora sæpe opposita, superiora alterna, ovato-lanceolata, seu ovato-oblonga, integerrima, breviter acuta, saturate viridia, glabra, seu vix ullis pilis raris adspersa, sensim versus caulis et ramorum apices decrescentia.

Racemi terminales; flores pedunculati, pedicellis in foliorum axillis solitariis, alternis, distantibus, erectis, pubescentibus, flore brevioribus.

Calyx corolla valde brevior, persistens, quinquepartitus; laciniis pubescentibus, ovatis, inæqualibus, duabus inferioribus paulo brevioribus, remotioribus, obtusiusculis.

Corolla personata speciosa, magna, ad sesquiunciam sæpe longa, et plerumque purpurea: tubus oblongus, inflatus, basi gibbus, limbo bilabiatus; labium superius bilobum, lateribus reflexum, inferius superiori admotum, brevius, trilobum, palato supra lobos prominulo, inflato, convexo, lutescente, intus villoso, subtus concavo.

Staminum filamenta didynamica, sub labio corollæ superiore inclusa, per paria approximata. Stylus unus, longitudine et situ staminum: Stigma obtusum.

Capsula ovato-oblonga, calyce valde longior, basi inæqualis obliqua, apice foraminibus tribus obliquè dehiscens, et quasi vituli cranium referens, bilocularis, polysperma. Semina numerosa, parva, subrotunda, fusca, lente vitrea visa foveolis undique exarata; receptaculo, quod utrinque dissepimento adnatum est, oblongo, convexo, fungoso, adhærent.

Habitat in muris, rupibus, turribus, ad sepes, et nonnumquam inter segetes in tota fere Lusitania. Floret vere et æstate, at culta toto fere anno. Frutex aut suffrutex.

Planta inodora, sapore fatuo; olim ut vulneraria et resolvens in usu medico, nunc exoleta.

Obs. Variat corollis albis præsertim culta, et lutescentibus circa Herminium et alibi in Beira boreali.

ANTIRRHINUM *meionanthum.*

ANTIRRHINUM *meionanthum.*

Antirrh. caule frutescente, erectiusculo, pubescente; foliis late lanceolatis, in petiolum brevem angustatis, oppositis, alternisque, glaberrimis; calyce hirsuto, laciniis inæqualibus, acutis; corolla basi gibbosa, mediocri, flavescenti-alba.

Antirrh. *molle.* Brot. Fl. Lusit. 1. p. 199.

Antirrh. *meonanthum.* Link Flor. Lusit. 1. p. 261. tab. 51.

Caules pauci ex eadem radice ramosa, basi lignosi, fruticosi, teretes, erectiusculi, sesquipedales ad fere tripedales, pubescentes, pilis brevibus, hinc inde tamen glabri, ramosi; ramis erectis, sæpe oppositis, nonnullis supremis alternis.

Folia opposita, superiora alterna, viridia, late lanceolata, acuta, integerrima, glaberrima, in petiolum sesquilineam ad fere tres lineas longum angustata, lamina sesquiunciam ad uncias duas longa, octo ad decem lineas lata, sensim versus caulis et ramorum apices decrescentia: in axillis nonnullis alia minora, seu ibi ramuli brevissimi.

Racemi terminales, hirsuti, semipedem et ultra longi. Flores singuli in axillis foliorum floralium solitarii, alterni, pedicellati; pedicellis sesquilineam ad lineas duas longis, hirsutis. Folia floralia solitaria, lineari-lanceolata, acuta, hirta, pedicellis valde longiora.

Calyx corollâ multo brevior, duas ad quatuor lineas longus, persistens; laciniis ovato-lanceolatis, acutis, inæqualibus, hirsutis, pilis longis.

Corolla personata, formâ ut illa Antirrh. *maioris*, sed minor, octo ad decem lineas longa, basique magis prominens, tubo ex flavescenti albido, subpubescenti circa rictum hirsuto, palato luteo, labio superiore emarginato. Stamina didynamica, per paria approximata, inclusa. Stylus situ et longitudine staminum: stigma obtusum.

Capsula ovata, calyce longior, basi obliqua, bilocularis, apice triforo oblique dehiscens, polysperma. Semina fusca, subrotunda, undique scrobiculata.

Habitat ad ripas Durii prope *Porto*, et alibi in Lusitania boreali. Floret Maio, Junio, Julio. Frutex.

Nimis affine Antirrh. *sempervirenti* (Willdenovii et Lapeirouse) sed differt foliis multo longioribus, glaberrimis, racemisque elongatis.

J. C. B. Sculp.

ANTIRRHINUM *Calycinum*.

ANTIRRHINUM *calycinum.*

Ant. caule simplici, foliis oblongo-lanceolatis, in petiolum brevem angustatis, inferioribus oppositis, superioribus alternis angustioribus; spicis terminalibus, floribus distantibus, alternis, solitariis; bracteis corolla longioribus; calycis laciniis oblongis, lineari-subsetaceis, corolla paulo brevioribus, raro illius longitudine.

Antirrh. *calycinum.* La Marck Dict. Bot. Encycl. tom. 4. pag. 365. Brot. Fl. Lusit. tom. 1. p. 200. Link Fl. Lusit. tom. 1. p. 262. tab. 52.

Antirrhinum minus, albo amplo flore. Barrel. Icon. 656.

Antirrhinum medium flore albo pulchro. Grisley Vir. Lusit. n. 109.

Caulis solitarius, simplex, erectus, octo ad tredecim uncias altus, teres, hinc inde hirtus, raro glaber.

Folia inferiora sæpe opposita, superiora alterna, nunc ovato-lanceolato obtusiuscula, nunc sæpius angustate et oblonge lanceolata, acuta, in petiolum magis minusve brevem angustata, integerrima, viridia, subpubescentia præsertim ad basin, raro glabra. In eorum axillis ramuli breves.

Spicæ terminales, plus minusve longæ. Flores omnes in axillis foliorum floralium, solitarii, alterni, breviter pedicellati, erecti, distantes aut valde laxi, supremi conferti. Folia floralia lineari-lanceolata, solitaria, floribus longiora.

Calyx profunde quinquepartitus; laciniæ patulæ, elongatæ, lineari-setaceæ, pilosæ, inæquales, tres superiores longiores, omnes corollâ sæpe paulo breviores, rarissime ipsius longitudine.

Corola personata, basi ecalcarata, sed ibique gibbosa, nunc alba et maior, octo ad undecim lineas longa, nunc violacea seu cærulescenti-rubra et minor. Stamina didynama, inclusa, per paria approximata. Stylus situ et longitudine staminum.

Capsula calyce brevior, subpyramidata, subvillosa, basi gibba, obliqua; poris tribus apice dehiscens. Semina fusca, oviformia, scrobiculata.

Habitat in arvis et inter segetes circa Olisiponem, Conimbricam et alibi. Floret Aprili, Maio, Junio. Annuum.

Nimis affine Antirrh. *Orontio* et quasi illius varietas; sed ab illo differt calycis laciniis nunquam corollâ longioribus, sed sæpe paulo brevioribus, aut ad summum ipsius longitudine, quod rarissimum, item corollâ multo maiori, præsertim ista albescente.

I. C. R. Sculp.

ANTIRRHINUM *Spurium integrifolium.*

ANTIRRHINUM *spurium integrifolium.*

Ant. foliis ovatis, integerrimis, villosis, subsessilibus, inferioribus oppositis, superioribus alternis; caulibus prostratis, ramosis; floribus axillaribus, pedicellis sæpe illos superantibus.

Ant. *spurium*. Lin. Sp. pl. *(uti var. foliis integerrimis)* La Marck Dict. Bot. Encycl. tom. 4. p. 349. Krocker Flor. Siles. 2. p. 382. Roth. Fl. German. 2. p. 62. Brot. Fl. Lusit. 1. p. 188.

Linaria *lanigera*. Link Fl. Lusit. 1. p. 231. tab. 34.

Elatine mas folio subrotundo. Joh. Bauh. Hist. pl. 3. p. 372. C. Bauh. Pin. p. 253.

Elatine rotundifolia, flore luteo. Grisley Vir. Lusit. n. 456.

Radix in ramulos exiguos filiformes fibratos divisa, annua.

Caules plures ex eadem radice, villosi, teretes, filiformes, procumbentes, pedales sesquipedales et ultra, fere é radice ramosi; ramis inferioribus oppositis, aliis alternis, omnibus prostratis.

Folia inferiora opposita, alia alterna sensim versus caulium et ramorum apices decrescentia, omnia ovata, seu ovato-subrotunda, integerrima, apice subacutæ, ex pallido viridia, villosa, subsessilia.

Flores in longitudinem tenuiorem caulis et ramorum dispositi, axillares, solitarii, alterni, plus minusve distantes; pedicelli flores æquantes, aut illis longiores.

Calycis laciniæ ovatæ, acutæ, villosæ, una interdum latior. Corollæ tubus brevis, luteus; labium superius purpureo-fuscum, inferius flavum; calcar æquale, subulatum, antrorsum curvum.

Capsula subrotunda, glabra, apice biloba, calycis longitudine, bilocularis: semina numerosa, minima, fusca, subrotunda, undique foveolis exarata.

Habitat in arvis et inter segetes circa Olisiponem, Conimbricam et alibi in Extremadura et Beira. Floret Julio, Augusto. Annuum.

Planta amaricans, subacris, olim pro Veronica *officinali* in usu medico habita, hodie exoleta.

ANTIRRHINUM *lanigerum.*

Ant. foliis omnibus alternis, ovatis subcordatisve, lanatis, inferioribus subdentatis, aliis integerrimis; caulibus procumbentibus, villoso-lanigeris, prælongis, ramosissimis; floribus axillaribus, solitariis, pedicellatis.

Ant. *lanigerum.* Brot. Fl. Lusit. 1. p. 189. Lin. Sp. pl. ed. Willd. 3. p. 233. La Marck Dict. Bot. Encycl. Suppl. tom. p. 19.

Linaria *lanigera.* Desfont. Fl. Atlant. 2. p. 38. tab. 130. *(varietas, cui folia inferiora non dentata.)*

Linaria *dealbata.* Link Fl. Lusit. 1. p. 232. tab. 35.

Caules plures ex eadem radice, graciles, cortice albo villoso-lanigero, subviscosi, procumbentes, sesquipedales ad quadripedales, fere é basi ramosi; ramis etiam procumbentibus, elongatis, inæqualibus, alternis, numerosis, patentissimis.

Folia omnia alterna, undique villoso-lanigera et dealbato-viridia, inferiora semiunciam ad unciam ferè longa, ovata, nonnulla in basi emarginaturâ minimâ subcordata, subsessilia aut interdum sessilia, alia sensim versus caulis et ramorum apicem decrescentia, integerrima, sessilia.

Flores in longitudinem ramorum dispositi, axillares, alterni, solitarii, plus minusve distantes, ad apicem ramorum propiores; pedicellis capillaribus, brevibus.

Calyx hirsutus, persistens, quinquepartitus; laciniis lanceolatis, acutis, subæqualibus, una sæpe latiore.

Corolla personata, ad tres lineas fere longa, et calyce parum longior, villosa; tubo albido; labio superiore violaceo, bifido, paulo breviore; inferiore albo, ad gibbum palati punctis cæruleis adsperso; calcare subulato, incurvo, corollæ longitudine.

Staminum filamenta sæpe cærulescentia, hinc subvillosa. Antheræ subcordatæ, viscosè adhærentes. Pistilli germen subrotundum, viride; stylus pubescens.

Tab. 129



J. C. R. Sculp.

ANTIRRHINUM *Lanigerum.*

Capsula parva, subrotunda, apice biloba, bisulca, glabra, bilocularis, polysperma, calyce tecta. Semina fusca, oviformia, undique scrobiculata.

Habitat in arvis, in Algarbiis, Transtagana, et interdum in Beira meridionali. Floret Julio, Augusto. Annuum.

Nimis affine Antirrh. *spurio*, sed differt præsertim habitu dealbato-lanato, nec villoso pallide viridi; caulibus multo longioribus, ramosioribusque; foliis minoribus, sæpe ad latera uno alterove dente notatis, et omnibus, uti ramis, alternis.

ANTIRRHINUM *sparteum.*

Ant. caulibus fertilibus erectis, virgatis, glabris, sterilibus procumbentibus, brevioribus; istorum foliis lanceolatis, integerrimis, glabris, carnosis, omnibus ternis quaternisve, fertilium supernè alternis, sublinearibus, longioribus; corolla lutea, mediocri.

Antirrh. *sparteum.* Lin. Sp. pl. 2. p. 884. Id. ed. Willd. 3. p. 240. La Marck Dict. Bot. Encycl. 4. p. 352. (ex Linnæo) Brot. Fl. Lusit. p. 194.

Linaria *spartea.* Link Fl. Lusit. 1. p. 233. tab. 36.

Caules plures ex eadem radice alba, ramosiuscula fibrata; alii erecti, octo ad quindecim uncias longi, fertiles, virgati, teretes, glabri, ramosi, ramis erectis, floriferis; alii steriles, procumbentes, multo breviores.

Folia omnia sessilia, in caulibus sterilibus verticillata, lanceolata, plana, subacuta, patentia, in fertilibus primordialia et inferiora sæpe terna, superiora sparsa, elongata, sublinearia, acuta.

Flores racemosi, distantes, alterni, solitarii, erecti, pedicellati; pedicellis setiformibus, septem ad undecim lineas longis, bractea supposita lineari multo longioribus.

Calyx quinquepartitus, laciniis subæqualibus, lanceolatis, acutis, glabris, margine membranaceis. Corolla flava, glabra, mediocris, quinque sexve lineas longa, excepto calcare; palato fulvo lanuginoso, fauce villosa; calcare subulato, recto, sex lineas longo, dilutiùs flavo.

Capsula globosa, glabra, calycis longitudine. Semina numerosa, minima, subglobosa, transverse rugosa.

Habitat in locis sabulosis trans Tagum ex adverso Olisiponis. Floret vere. Annuum et bienne.

Obs. Tam istud quàm duo sequentia nimis Antirrhino *junceo* Linnæi affinia sunt; sed nonnullis notis cum illo specificè non conveniunt.



ANTIRRHINUM *sparteum*

ANTIRRHINUM *prœcox.*

ANTIRRHINUM *præcox.*

Ant. caulibus fertilibus erectis, simpliciusculis, glabris, supernè hirtis, sterilibus procumbentibus, multo brevioribus; istorum foliis lanceolatis, glabris, planis, omnibus sæpius ternis, paucis quaternis; fertilium inferioribus similibus, superioribus sublinearibus, sparsis; corolla flava, mediocri.

Antirrhinum *junceum.* La Marck Dict. Bot. Encycl. 4. p. 352.

Antirrh. *sparteum.* Cavanill. Icon. vol. 1. p. 19. tab. 32.

Linaria *juncea.* Desfont. Fl. Atlant. 2. p. 43.

Linaria præcox. Link Fl. Lusit. 1. p. 234. tab. 37.

Caules plures ex eadem radice teretes, graciles; alii fertiles, erecti, quinque ad octo uncias alti, glabri, supernè hirti, simpliciusculi, seu parum ramosi, ramis alternis, brevissimis, erectis; alii steriles procumbentes, valde breviores.

Folia sessilia, integerrima, glabra, in caulibus sterilibus sæpe terna, perpauca quaterna, lanceolata, acutiuscula, plana, in fertilibus inferiora similia, superiora alterna, distantia, sublinearia, acuta, carnosa, sæpe canaliculata.

Racemi terminales, flores pauci; pedicelli quinque ad septem lineas longi, solitarii, alterni, pilosiusculi, distantes: bracteæ subulatæ, hirtæ, pedicello triplo quadruplove breviores.

Calyx quinquepartitus, laciniis subæqualibus, lineari-lanceolatis, acutis, pilosis. Corolla flava, quatuor quinqueve lineas longa, calcare non supputato; labium superius bifidum, lobis surrectis reflexis, inferius trilobum; palato fulvo lanuginoso, fauce villosâ; calcare quinque lineas longo, subulato, recto, concolore.

Capsula subglobosa, glabra, calycis longitudine. Semina numerosa, oviformia, transverse rugosa.

Habitat in sabulosis, in Algarbiis. Floret Februario, Martio. Annuum, aut bienne.

Antirrhino *junceo* Linnæi nimis affine, sed differt caule subsimplici, supernè hirto, valde breviore, non sesquipedali, nec subangulato, calyce piloso, palato lanuginoso, et foliis inferioribus sæpe ternis.

Tab. 132.

ANTIRRHINUM *virgatulum.*

ANTIRRHINUM *virgatulum.*

Ant. caulibus fertilibus virgatis, erectis, glabris, ramosissimis, sterilibus procumbentibus, brevioribus; foliis omnibus angustis, in caulibus sterilibus lanceolatis ternis, in fertilibus sublinearibus sparsis; corolla flava, mediocri.

Antirrh. *virgatulum.* Brot. Fl. Lusit. 1. p. 193.

Linaria *meonantha.* Link Flor. Lusit. 1. p. 236. tab. 38.

Caules plures ex eadem radice alba ramosiuscula, teretes, glaberrimi, uti tota planta, exteriores steriles, procumbentes, breviores, centrales erecti, octo ad tredecim uncias alti, virgati, sæpe ramosissimi, præsertim in solo arenoso humido; ramis tenuibus, virgatis, erectis.

Folia omnia sessilia, angusta, carnosa, integerrima, acuta; in caulibus sterilibus lanceolata, terna, rarissime in imis verticillis quaterna; in fertilibus inferiora terna, subterna, vel fere opposita, alia alterna canaliculata, sparsa.

Racemi terminales; flores pauci, quatuor ad septem, rarò plures, in singulo racemo; pedicelli setiformes, distantes, solitarii, alterni, glabri, erecti, quinque ad undecim lineas alti: bracteæ lineares, glabræ, pedicellis multo breviores.

Calyx glaber, quinquepartitus, laciniis subæqualibus, lineari-lanceolatis, acutis, dorso viridibus, margine pallide membranaceis, erectis, sesquilineam longis.

Corolla flava, quatuor quinqueve lineas longa, excepto calcare, in fundo tubi interdum puncta duo saturate fulva; palato holosericeo, fulvo, fauce villosa; calcare tres quatuorve lineas longo, subulato, recto. Antheræ bilobæ, flavæ, stylus brevis; stigma bifidum.

Capsula ovato-subrotunda, glabra, utrinque unisulcata, longitudine calycis, aut vix brevior. Semina numerosa, ovalia, transverse rugosa.

Habitat in sabulosis ad Mundam et alibi circa Conimbricam. Floret Maio, Junio. Annuum.

Differt ab Antirrhino *junceo* Linnæi caule non subangulato, foliis caulium fertilium inferioribus verticillatis, superioribus non planis, et corollæ palato non glabro. Nec confundendum cum Antirrh. *virgato* Linn., a quo multo magis discrepat.

Tab. 133.

ANTIRRHINUM *saxatile.*

ANTIRRHINUM *saxatile*.

Ant. caulibus piloso-viscosis, fertilibus erectis, subramosis, sterilibus subadscendentibus; foliis utrinque pubescenti-viscidis, inferioribus ternis et quaternis, nonnullis quinis, lanceolatis aut lanceoto-linearibus, superioribus sparsis; calyce hirto, lacinia suprema longiore; corolla flava, mediocri.

Antirrhinum *saxatile*. Brot. Fl. Lusit. 1. p. 191.

Linaria *saxatilis*. Link Fl. Lusit. 1. p. 238. tab. 40.

Radix ramosa, ramis fibratis, cortice albo, ad collum fere digiti minimi crassitudine. Perennis.

Caules plures ex eadem radice, alii steriles decumbentes, breviores, alii fertiles erecti, seu infernè recurvuli deinde erecti, septem ad undecim uncias alti, basi sublignosi, teretes, pilosi, pilis brevibus densis, apice guttula viscosa terminatis, subramosi; ramis oppositis alternisque, omnibus sæpe indivisis.

Folia sessilia, lanceolata, acuta, plana, integerrima, utrinque piloso-viscida, septem ad undecim lineas longa, inferiora in utrisque caulibus terna, plura quaterna, aut interdum nonnulla quina, superiora sparsa, breviora et angustiora.

Flores pauci in apice caulium et ramorum conferti, subcapitati primùm, deinde plus minusve distantes, pedicellati; pedicellis sesquilineam ad lineas duas longis, pilosis, erectis. Bracteæ pedicellis æquales, aut parum longiores, lineari-setaceæ, pilosæ.

Calyx pilosus, pilis longis, crispatulis; laciniis angustis, lineari-setaceis, acutis, quatuor subæqualibus, quinta suprema paulo longiori.

Corolla penitus flava, mediocris, quatuor quinqueve lineas longa, calcare non supputato; labium superius bifidum, laciniis reflexis, extus subpubescentibus, inferius trilobum, lobis æqualibus, obtusis; palatum intus villosum, bipunctatum, punctis saturâte fulvis; faux etiam villosa; calcar subulatum, quatuor quinqueve lineas longum, rectum, aut interdum vix ac nec vix arcuatum. Germen villosiusculum. Stigma obtusum.

Capsula subrotunda, longitudine calycis, glabra. Semina numerosa, subglobosa, fusca, scrobiculata.

Habitat in montibus Lusitaniæ borealis, et frequens in Transmontana. Floret vere et interdum æstate. Perenne.

Planta affinis Antirrhino *saxatili* Linnæi; sed caulibus fertilibus non longè decumbentibus, foliis latioribus, et calycis laciniis non æqualibus nec lanatis, differt.

Tab. 134.

ANTIRRHINUM *glutinosum*

ANTIRRHINUM *glutinosum*.

Ant. caulibus piloso-viscosis, fertilibus basi subarcuatis, deinde erectis, subramosis, sterilibus decumbentibus; foliis pubescenti-viscidis, inferioribus ternis et quaternis, lineari-lanceolatis, superioribus sparsis; calyce hirto, lacinia suprema longiore; corolla flava, mediocri.

Ant. *saxatile.* Brot. Flor. Lusit. 1. p. 191. La Marck Dict. Bot. Encycl. 4. pag. 356 ?

Linaria *glutinosa.* Link Fl. Lusit. 1. p. 237. tab. 39.

Caules plures ex eadem radice ramosiuscula, quorum alii steriles decumbentes, breviores, alii fertiles sæpe adscendentes, seu vix basi declinati mox erecti, quinque ad novem uncias longi, teretes, pilosi, pilis apice humorem glutinosum excernentibus, parum ramosi, ramis alternis, brevibus, sæpe indivisis.

Folia in utrisque caulibus inferiora terna et quaterna, superiora sparsa, omnia glutinoso-pilosa, uti caules, angusta, lanceolato-linearia, acutiuscula, interdum canaliculata, integerrima, sessilia.

Flores pauci, in apice caulium et ramorum, primùm dum florent conferti, tandem distantes, pedicellati; pedicellis hirtis, erectis, sesquilineam ad tres lineas longis: bracteæ sublineares, pedicellis æquales, aut paulo longiores, hirtæ.

Calyx profunde quinquepartitus, laciniis hirtis, lanceolatis, acutis, summâ angustiore longiore. Corolla flava, mediocris, quatuor quinqueve lineas longa, calcare non supputato, ad palatum interdum puncta saturate fulva: calcar quatuor quinqueve lineas longum, subulatum, rectum. Germen subvillosum. Stigma obtusum.

Capsula ovato-subrotunda, subvillosa, longitudine calycis. Semina subglobosa, fusca, scrobiculata.

Habitat in arenosis maritimis prope *Setubal*, in rupibus prope *Porto*, et alibi. Floret Aprili, Maio, Junio. Perenne.

PLANTA nimis affinis præcedenti; sed habitu paulo glutinosiore, foliis angustioribus, et caulibus fertilibus, cum eriguntur, basi plus arcuatis, differt. Admodum quoque affinis Antirrhino *saxatili* Linnæi, ab eo tamen discrepat caulibus fertilibus non longe decumbentibus, et calycis laciniis non æqualibus, nec lanatis. Nec confundenda cum Antirrhino *viscoso* Linnæi, a quo differt præsertim caulibus non lævibus, pedicellis florum cauli non approximatis, calycis laciniis margine non membranaceis, et corollis multo minoribus, nec magnitudine Antirrhini *Linariæ*.

ANTIRRHINUM *linogriseum.*

ANTIRRHINUM *linogriseum.*

Ant. caulibus sterilibus procumbentibus, fertilibus simpliciusculis, erectis; sterilium foliis ternis quaternisve, lanceolato-linearibus, omnibus glabris, fertilium sublinearibus, superioribus sparsis; corolla cærulescenti, mediocri, tubo subcampanulato, labiis hiantibus, calcare recto, corollæ longitudine.

Linaria *linogrisea.* Link Fl. Lusit. 1. p. 239. tab. 41.

Antirrhinum *incarnatum.* La Marck Dict. Bot. Encycl. 4. p. 364.

Linaria pumila, Lusitanica, floribus palato carentibus?
Tourn. Hist. R. H. p. 170.

Caules plures ex eadem radice subramosa fibrata, teretes alii steriles procumbentes, breves, tres ad quinque uncias longi, penitus glabri, fertiles alii erecti, semipedales ad pedales, infernè glabri, supernè pubescentes, parum ramosi; ramis alternis, brevibus, indivisis, erectis.

Folia sessilia, integerrima, glabra, in caulibus sterilibus lanceolato-linearia, quatuor seu quinque lineas longa, terna quaternave, in fertilibus inferiora similia, superiora sparsa, sublinearia, plana, acuta.

Racemi terminales; flores alterni, solitarii, distantes; pedicellis pubescentibus, erectis, quinque sexve lineas longis: sub singulo valde brevior bractea, setacea, pubescens.

Calyx profunde quinquepartitus, laciniis setaceis, acutis, pubescentibus, subcæruleis, suprema parum longiore.

Corolla personata, cærulea, mediocris, quinque sexve lineas longa, excepto calcare; tubo subcampanulato; labiis hiantibus, superiore longo, erecto, bipartito, laciniis obtusis, venosis, reflexis, dilutius cæruleis parumque rubentibus, inferiore trilobo, lobis longis, obtusis, intermedio breviore; palato intus villoso; calcare subulato, recto, quinque sexve lineas longo. Stamina inclusa, per paria approximata.

Capsula ovato-subrotunda, glabra, calycis longitudine, aut interdum calyce vix longior. Semina subrotunda, tranverse rugosa.

Habitat in solo sabuloso in Algarbiis. Floret Februario, Martio, Aprili. Annuum.

Synonymon Tournefortii potius Anarrhino *crassifolio* (Lin. Sp. pl. ed. Willd.) quàm huic Antirrhino, aut sequenti applicandum videtur. Antirrhinum *incarnatum* (La Mark) nostri *linogrisei* fortasse tantummodo uti varietas habendum, discrepat enim vix aliter quàm corolla incarnata, et calcare corollam fere duplo superante.



Tab. 136.

ANTIRRHINUM *Saphirinum.*

ANTIRRHINUM *sapphirinum.*

Ant. caulibus sterilibus procumbentibus, fertilibus erectis, ramosis subramosisve; foliis sterilium ternis lanceolato-linearibus, fertilium sparsis, sublinearibus, acutis; corolla mediocri, cærulea; tubo cylindraceo, palato albescente, punctis cæruleis adsperso; calcare recurvo.

Ant. *sapphirinum.* Brot. Fl. Lusit. I. p. 197.

Linaria *sapphirina.* Link. Flor. Lusit. I. p. 241. tab. 42.

Caules plures teretes; steriles procumbentes, breviores, glabri; fertiles erecti, dodrantales ad pedales, infernè glabri, supernè pilosi, et cærulescentes, nunc ramosi, nunc perpaucis ramis instructi.

Folia sessilia, integerrima, acuta, in caulibus sterilibus terna, lanceolato-linearia, glabra, in fertilibus sparsa, sublinearia, plana, glabra, suprema interdum pilosa.

Racemi terminales; flores alterni, solitarii, distantes; pedicellis quatuor ad sex lineas longis, pubescentibus, erectis: bracteæ solitariæ, setaceæ, acutæ, pubescentes, pedicellis multo breviores.

Calyx corollâ valde brevior, quinquepartitus; laciniis angustis, acutis, pubescentibus, subæqualibus. Corolla violaceo-cærulea, quinqueve lineas longa, calcare non supputato; tubo cylindrico, angusto, violaceo tricalloso in basi; labiis subhiantibus, superiore bipartito, laciniis obtusis, inferiori trilobo, lobis obtusis, violaceo-cæruleis, intermedio minori; palato albescente punctis cæruleis adsperso, intus fulvo et villoso; calcare subulato, quinque sexve lineas longo, recurvo. Germen glabriusculum: stigma nunc subtruncatum obtusum, nunc bifidum aut fere trifidum.

Capsula ovato-subrotunda, glabra, calycis longitudine aut ei subæqualis. Semina subglobosa, aut nonnulla subturbinata, omnia tranverse rugosa.

Habitat in dumetis, locisque sabulosis circa Conimbricam, Herminium et alibi in Beira boreali. Floret Maio, Junio. Annuum. Planta nimis affinis præcedenti.

ANTIRRHINUM *amethysteum.*

Ant. caulibus primariis erectis, aliis adscendentibus, omnibus simplicibus; foliis linearibus aut sublinearibus, glabris, glaucescentibus, inferioribus quaternis, nonnullis quinis, superioribus sparsis; floribus paucis, breviter pedunculatis, in summitate confertis; corolla cærulea, mediocri; palato albo-flavescenti, cæruleo-punctato; calcare recto, corollis longiore.

Antirrhinum *amethysteum.* Brot. Fl. Lusit. 1. p. 197. La Marck Dict. Bot. Encycl. 4. p. 328. Linn. Sp. pl. ed. Willd. 3. p. 241.

Antirrhinum *bipunctatum.* Cavanill. Icon. 1. p. 20. tab. 33.

Liñaria *amethystea.* Link Flor. Lusit. 1. p. 253. tab. 47.

Caules ex eadem radice plures in orbem positi, semipedales ad dodrantales, primarii centrales longiores, erecti, alii ex decumbentibus plus minusve erecti, teretes, glaucescentes, infernè glabri, supernè piloso-viscosi, ad apicem subramosi; ramis alternis, brevibus, sæpe indivisis, erectis.

Folia sessilia, subcarnosa, glabra, plana, subglauca, sublinearia, seu lineari-lanceolata, acutiuscula, inferiora sæpe quaterna, nonnulla quina, superiora alterna.

Racemi terminales pauciflori; flores tres ad sex, rariùs ad decem, supernè conferti, tandem plus minusve distantes, omnes pedicellati; pedicelli breves, sesquilineam duasve lineas longi, solitarii, alterni, erecti, pubescentes, bracteati; bracteæ solitariæ, subsetaceæ, acutæ, subpubescentes, pedicello æquales aut longiores.

Calyx quinquepartitus, laciniis viridibus, pubescentibus, sublinearibus, acutis, suprema angustiore et longiore, omnibus tubo corollæ vix brevioribus, patulis, persistentibus.

Corolla mediocris, quatuor quinqueve lineas longa, calcare non supputato; labium superius erectum, bifidum, plus minusve cæruleum, inferius trilobum, lobis subcæruleis, obtusis, intermedio subæquali; tubus cæruleus; palatum ex albo flavescens, punctis cæruleis adspersum, intus fulvo-villosum; calcar subulatum, violaceum, rectum, sex septemve lineas longum.

ANTIRRHINUM *amethysteum*

Capsula globosa, glabra, longitudine calycis, aut vix altior. Semina plurima, complanata, marginata, subscrobiculata.

Habitat in arvis circa *Elvas*, *Grandola*, et alibi in Transtagana australiore, at aliquæ ejus varietates in Beira altiore. Floret Februario, Martio, Aprili. Annua.

Ad ripas Durii varietas occurrit, fortasse seminibus a flumine ex Hispania devectis, labio superiore corollæ flavo-albo, et palato punctis tantùm duobus violaceis, quæ Antirrhinum *bipunctatum* Cavanill. Inter *Lousãa* et *Bussaco* alia etiam occurit, cui corolla straminea, palato aurantiaco, punctis violaceis adsperso. Antirrhinum *subalpinum* nostræ Floræ, etsi discrepet caulibus minus erectis ramosioribusque, pedicellis florum longioribus, et calyce glabro, forte tamen ad hanc speciem referendum.

ANTIRRHINUM *polygalæfolium.*

Ant. caulibus primariis sæpe erectis, ramosis, aliis adscendentibus; foliis infimis subverticillatis, ternis quaternisve, aliis alternis, omnibus sublinearibus, glabris, glaucis, carnosis; corollâ magna, flava.

Linaria *polygalæfolia.* Link Flor. Lusit. 1. p. 248. tab. 44.

Radix lignosa, biennis. Caules plures, infernè lignosi, teretes, supernè subangulati, glabri, hinc inde ramosi, primarii sæpe erecti, alii adscendentes.

Folia sessilia, angusta, sublinearia, acuta, integerrima, planiuscula, carnosa, glauca, glabra, infima minora et nonnulla subverticillata terna quaternave, alia omnia sparsa, media caulium maiora octo lineas longa, lineam ad sesquilineam lata, subcanaliculata.

Spicæ breves; flores conferti; pedicelli vix lineam longi, solitarii, alterni, glabriusculi, pilis rarissimis. Bracteæ solitariæ, subsetaceæ, pedicellis longiores.

Calyx quinquepartitus, laciniis longis, anticè latioribus, obtusiusculis, summâ longiore, in omnibus pili vix ulli.

Corolla lineas quinque sexve longa, calcare non supputato, flava; labio superiore longo, bifido, laciniis obtusis, inferiore brevi, trilobo, lobis obtusis; palato villoso, fulvo; calcare corolla longiore, subulato, flavo, striato, striis subpurpureis, recurvo.

Capsula longitudine calycis, ovato-subrotunda, glabra. Semina compressa, margine membranaceo cincta.

Habitat in maritimis in Duriminia, Beira, et Extremadura prope *S. Martinho*, et alibi. Floret Maio, Junio, Julio. Perenne.

Affine Antirrhino *Lusitanico*, at differt radice bienni, caulibus ramosioribus, foliis multo angustioribus, floribus plus confertis, eorum pedicellis multo brevioribus, et corolla parum minori; an tamen specificè satis diversum?

N. B. Antirrhinum *polygalæfolium* (La Marck Suppl. Dict. Bot. Encycl. tom. 4. p. 21.) foliis trinerviis, calcare recto, longitudine corollæ, longe alia diversa species.

ANTIRRHINUM *polygalæfolium.*



ANTIRRHINUM *pyrenaicum*.

ANTIRRHINUM *pyrenaicum.*

Ant. caulibus simplicibus, aliis recurvato-erectis, procumbentibus aliis, infernè glabris, supernè viscoso-pilosis; foliis sublinearibus, angustis, glabris, inferioribus quaternis, nonnullis quinis, supremis alternis; corolla magna, flava.

Antirrhinum *pyrenaicum.* La Marck Dict. Bot. Encycl. 4. p. 24.

Linaria *pyrenaica.* Link Fl. Lusit. 1. p. 249. tab. 45.

Caules ex radice plures simplices, teretes semipedales ad ferè pedales, infernè glabri, supernè pilosi, pilis brevibus, vesicula viscosa terminatis, alii procumbentes, alii plus minusve declinati, deinde erecti, foliosi, ad apicem nudi.

Folia sessilia, angusta, sublinearia, seu lineari-lanceolata, octo ad tredecim lineas longa, lineam ad sesquilineam lata, acutiuscula, plana, subcarnosa, integerrima, glabra, viridia, approximato-verticillata, inferiora quaterna, nonnulla quina, suprema alterna.

Spicæ terminales, breves, floribus confertis, paucis; pedicelli alterni vix lineam longi, pubescentes. Bracteæ solitariæ, sublineares, hirtæ, pedicellis longiores.

Calyx profunde quinquepartitus, laciniis lineari-lanceolatis, inæqualibus, suprema longiore, omnibus viscoso-pilosis.

Corolla flava, quinque sexve lineas longa, calcare non supputato; labio superiore bifido, flavo; palato holosericeo, fulvo; fauce villosa; calcare subulato, striato, subrecto, corolla longiore.

Capsula ovato-subrotunda, subpubescens. Semina complanata, marginata.

Habitat in montosis de *Cintra*, et alibi. Floret Maio, Junio. Perenne.

ANTIRRHINUM *glaucophyllum.*

ANT. caulibus simplicibus, aliis procumbentibus, aliis recurvato-erectis, infernè glabris, supernè viscoso-pilosis; foliis lanceolatis, latiusculis, glaucis, glabris, infimis subverticillatis, omnibus aliis alternis; corolla magna, albida, palato flavo.

LINARIA *glaucophylla.* Link Flor. Lusit. 1. p. 250. tab. 46.

RADIX lignosa, ramosiuscula, perennis. Caules plures, semipedales ad pedales, glaucescentes, infernè teretes, glabri, prope basin lignosi, supernè subangulati, viscoso-pilosi, simplices, ramis brevibus alternis, alii procumbentes, alii plus minusve declinati deinde erecti, omnes ad apicem nudifolii.

FOLIA sessilia, unciam ad sesquiunciam longa, duas lineas lata, lanceolata, acutiuscula, integerrima, plana, glauca, glabra, infima subterna seu subquaterna, omnia alia remotiuscule sparsa.

SPICA terminalis, sæpe brevis; flores pauci, primum conferti, demum valde laxi; pedicelli alterni, lineam ad lineas duas longi, pubescentes. Bracteæ solitariæ, sublineares, subpubescentes, pedicellis longiores.

CALYX quinquepartitus, laciniis sublanceolatis, antrorsum latioribus, acutiusculis, viscoso-pilosis, inæqualibus, summa longiore.

COROLLA albida, quatuor quinqueve lineas longa, calcare excepto; ejus labium superius bifidum, stramineum, inferius trilobum, breve; palatum flavum holosericeum; faux villosa; calcar subulatum, flavescens, lineis purpureis pictum, subrectum, corolla longius.

CAPSULA ovato-subrotunda, calycis longitudine, glabriuscula. Semina complanata, marginata.

HABITAT in montosis in Transmontana. Floret Maio, Junio. Perenne.

VALDE affine Antirrhino *pyrenaico*, sed foliis longioribus et latioribus, plus distantibus plusque sparsis, et corolla minori albescenti, diversum.

ANTIRRHINUM *glaucophyllum.*



ANTIRRHINUM *diffusum.*

ANTIRRHINUM *diffusum.*

Ant. caulibus erectiusculis, nonnullis adscendentibus, diffusis, pubescentibus; foliis infimis ternis aut quaternis, omnibus aliis alternis, linearibus seu sublinearibus, planiusculis, integerrimis, pubescentibus; corolla parva, cærulea, calcare curvato.

Linaria *diffusa.* Link Fl. Lusit. 1. p. 257. tab. 49.

Caules plures ex eadem radice, nonnulli adscendentes, alii ex declinatis erectiusculi, teretes, basi duriusculi, semipedales ad pedales, piloso-viscosi, ramosissimi, ramis tenuibus, alternis.

Folia sessilia, linearia, seu sublinearia, quinque ad septem lineas longa, lineam ad sesquilineam lata, inferiora et superiora minora, omnia planiuscula, piloso-viscosa, integerrima, acuta, infima terna aut quaterna, alia alterna, distantia.

Racemi terminales, longi, pauciflori; floribus valde distantibus; pedicellis alternis, solitariis, piloso-viscosis, lineam ad lineas duas longis. Bracteæ brevissimæ, angustissimæ, pubescentes.

Calyx quinquepartitus, persistens; laciniis lanceolatis, acutis, piloso-viscosis, suprema longiore. Corolla cærulescens, tres lineas longa, calcare non supputato; labium superius bifidum, laciniis obtusis, reflexis, inferius trilobum, breve; palatum aurantiacum, parum pubescens; calcar subulatum, acutissimum, arcuatum, corolla longius.

Capsula parva, ovato-subrotunda, longitudine calycis, aut vix brevior, glabra. Semina complanata, marginata.

Habitat inter *Abrantes* et *Punhete.* Floret Maio, Junio. Annuum.

ANTIRRHINUM *multipunctatum.*

Ant. caulibus simplicibus, simplicissimisque, adscendentibus; foliis lanceolatis, glabris, glaucis, infernè quaternis, supernè alternis; floribus subsessilibus, subcapitatis; corolla mediocri, flava, calcare illam fere duplo excedente, recto, saturate purpureo, palato multipunctato.

Ant. *multipunctatum.* Brot. Fl. Lusit. tom. 1. pag. 195.

Linaria *multipunctata.* Link et Hoffm. Fl. Lusit. tom. 1. p. 254. tab. 48. (Varietas maior)

Radix fibrosa, annua. Caules plures ex eadem radice, quinque ad viginti et ultra, adscendentes, tres ad quinque uncias longi, raro longiores, teretes, glabri, supernè interdum subpubescentes, simplicissimi, vel simplices, ramis perpaucis, alternis, erectis.

Folia lanceolata, acuta, integerrima, glabra, glauca, subcarnosa, plana, inferiora quaterna, superiora alterna, pauca, et ad apicem caulium ramorumque sæpe nulla.

Spica terminalis erecta; rachis brevis, interdum subpubescens, pilis brevissimis, apice viscosis; flores conferti, subcapitati, pauci, tres ad quinque, raro ultra, pedicellati, pedicellis lineam ad sesquilineam longis, interdum subpubescentibus, bracteâ lanceolatâ calyceque brevioribus.

Calyx quinquepartitus; laciniis oblongis, acutiusculis, sublanceolatis, ad margines lanuginosis, inæqualibus, suprema angustiore et aliquantulum longiore.

Corolla lineas quatuor quinqueve longa, calcare non supputato, istud vero septem octove longum, acutissimum, rectum, saturatè purpureum: labium superius erectum, bifidum, laciniis obtusis, retroflexis; labium inferius trifidum, laciniis subæqualibus, obtusis; palati gibbo quamplurimis punctis atropurpureis asperso, intus villoso, villis nunc luteis nunc purpureis; tubo minimo, luteo, aut interdum extus purpurascenti, intus lineis maculisque atropurpureis variegato.

Stam. filamenta didynama, sub labio superiori corollæ sita, illoque valde breviora. Antheræ per paria conniventes, bilobæ, luteæ.

PIST. germen subglobosum. Stylus simplex, filiformis, longitudine et situ staminum, marcescens. Stigma obtusum.

CAPSULA obovata, subrotunda, calyci æqualis, bilocularis, dentibus quinque sexve dehiscens; dissepimentum contrarium, suborbiculare: Semina plurima, lævia, complanata, margine membranaceo orbiculato cincta, placentæ fungosæ in medio dissepimenti utrinque elevato affixa.

HABITAT sæpius in solo macro prope Conimbricam, et in agris cultis aut incultis circa Olisiponem, et alibi. Floret vere. Annuum.

ANARRHINUM *bellidifolium*.

AN. caulibus subsolitariis, glabris, erectis, centrali longiore, in summitate ramoso; foliis glabris, radicalibus spathulatis, dentato-serratis, caulinis ad basin usque partitis, laciniis linearibus, longis; corolla cærulescenti, exigua.

ANTIRRHINUM *bellidifolium*. Lin. Sp. pl. 2. p. 860. La Marck Dict. Bot. Encycl. 4. p. 363. Will. Delph. p. 442. Gouan Illust. p. 39. Brot. Flor. Lusit. 1. p. 198.

ANARRHINUM *bellidifolium*. Lin. Sp. pl. ed. Willden. 3. p. 260. Link Fl. Lusit. 1. p. 226. tab. 32.

LINARIA aliquatenus similis folio Bellidis.
Joh. Bauh. Hist Pl. 3. p. 459.

LINARIA Bellidis folio. C. Bauh. Pin. 212.

LINARIA cærulea odorata Clusii. Grisley Vir. Lusit. n. 888.

RADIX lignosa, ramosiuscula, alba, biennis aut triennis.

CAULES nonnulli ex eadem radice, centralis valde longior, pedalis, sesquipedalis et ultra, teretis, glaber uti tota planta, erectus, strictus, supernè ramosus; ramis alternis, gracilibus, longis, erectis, sæpe indivisis.

FOLIA radicalia in orbem jacentia, spathulata, seu obovata in petiolum attenuata, serrato-dentata, trinervia, saturate viridia, glabra, duas uncias et ultra longa; caulina ad basin usque partita, laciniis tribus ad septem, sæpe quinque, linearibus seu sublinearibus, angustis, acutis, integerrimis, intermedia sæpe productiore.

RACEMI terminales; longissimi, simplices, erecti, multiflori: flores alterni, laxi, erectiusculi, inferiores subnutantes; pedicellis sesquilineam ad lineas fere tres longis. Bracteæ unifloræ, sublineares, acutæ, integerrimæ, nonnullæ interdum trifidæ, omnes pedicellis longiores.

CALYX parvus, sesquilineam fere longus, laciniis subæqualibus, subulatis, laxiusculis, corolla brevioribus.

COROLLA labiata, cærulescens, exigua, glabra; tubus teres, calyce

J. C. R. Sculp.

ANARRHINUM *Bellidifolium.*

Tab. 143



vix altior; labio superiore bifido; laciniis obtusis, erectis, inferiore trilobo, paulo longiore, lobis obtusis, cernuis, intermedio maiori; palatum nullum; faux orbicularis, aperta, glabra; calcar é basi corollæ minutum, sursum arcuatum, calyce inclusum, illoque brevius.

Staminum filamenta didynama, tubo corollæ inclusa: antheræ per pares approximatæ. Pistilli germen ovatum; stylus unicus; stigma capitatum.

Capsula subrotunda, calycis longitudine aut brevior, bisulca, bilocularis, polysperma, dentibus apice dehiscens, marginc dissepimenti persistente. Semina minima, ovalia, tuberculata.

Habitat in montosis, et sabulosis aridis in Lusitania boreali, frequens circa Conimbricam, rarius in Extremadura. Floret ex Aprili ad Julium. Bienne aut interdum trienne.

Planta amara, sed inodora mihi semper occurrit, etsi aliquantulum odoratam esse in Europæ regionibus calidis a Clussio asseratur. Apud Lugdunenses olim in medico usu, et ulcera sordida purgare, lombricos interficere, et obstructiones expedire a Joh. Bauhino refertur.

ANARRHINUM *Duriminium.*

Anarrh. caule hirsuto, erecto; foliis hirsutis, radicalibus spathulatis, serrato-dentatis, trinerviis, caulinis tripartitis, lacinia media late lanceolata; bracteis imis similibus, supremis integerrimis; corolla parva, exalbida.

Antirrhinum *bellidifolium.* (Var. 6.) Lin. Sp. pl. ed. Reich. 3. p. 139. La Marck Dict. Bot. Encycl. 4. p. 363. Gouan Illustr. p. 39.

Antirrhinum *Duriminium.* Brot. Fl. Lusit. 1. p. 198.

Linaria Lusitanica Bellidis folio ampliore et villoso. Tournef. Inst. R. H. p. 169.

Anarrhinum *hirsutum.* Link Fl. Lusit. 1. p. 227. tab. 33.

Caulis sæpe solitarius, teres, hirsutus uti tota planta, erectus, sesquipedalis et ultra, supernè ramosus; ramis gracilibus, longis, erectis.

Folia saturate viridia, hirsuta, radicalia in orbem jacentia, spathulata, serrato-dentata, caulina infima lanceolata, serrata, superiora tripartita, lacinia mediâ lanceolatâ, lateralibus multo latiore, acutissimâ, sæpe integerrimâ.

Racemi ut in præcedenti Anarrh. *bellidifolio*, sed bracteæ in floribus inferioribus tripartitæ, laciniâ mediâ late lanceolatâ, et lateralibus maiore, in supremis integerrimæ.

Calyx profunde quinquepartitus, laciniis subulatis, subæqualibus, corollâ multo brevioribus.

Corolla albida, seu interdum rariùs straminea, labiata, absque palato, ut in præcedenti; tubo et labiis similibus, sed aliquantulum maïoribus; fauce pervia; calcare arcuato, intra calycem clauso. Reliqua ut in præcedenti specie.

Habitat in rupibus, et sabulosis subhumidis inter Durium et Minium, præsertim circa urbem do *Porto.* Floret Junio, Julio. Bienne aut interdum trienne.

J. C. R. Sculp.

ANARRHINUM *Duriminium*

Tab 145

Planta nimis affinis Anarrhino *bellidifolio*, sed habitu hirsuto, foliis valde maioribus, caulinis bracteisque imis tripartitis, cum lobo medio latissime lanceolato, et corollâ maiori nec cærulescente, ab illo satis differre videtur, ut potius pro specie verè distincta quàm pro varietate haberi mereatur, et insuper quia culta nil habitu hirsuto nec aliis notis variet.

OROBANCHE *barbata*.

Orob. caule simplicissimo, pubescente; calyce bifolio, foliolis indivisis bifidisve, aristatis, corolla paulo brevioribus; bractea unica florem excedente; corolla quadrifida, labis crispis, crenatis, longitudine subæqualibus; staminibus infernè lineari-lanceolatis villosis, supernè glabris, antheris solutis, inclusis, stylo glabriusculo brevioribus; stigmatis lobis subdistantibus.

Lusit. *Herva toira barbuda*

Or. *barbata*. Brot. Fl. Lusit. tom. 1. pag. 183.

Or. *barbata*, caule simplici, pubescente; calycibus bipartitis, lacinia longe aristata; bracteis calyce longioribus. (Ut varietas.) La Marck Dict Bot. Encycl. Meth. tom. 4. p. 621.

Or. *gracilis*, calycis phyllis lanceolatis bifidis; corolla elongata unciali, galeâ integrâ margine crispâ, labio breviore; staminibus basi hirsutis; stylo pilis sparsis; stigmate bilobo. (Ut varietas.) Link et Hoffm. Fl. Lusit. tom. 1. p. 313.

Or. *minor*, calycis phyllis sæpe bipartitis; corolla semiunciali lutescente, margine crispa; staminibus basi hirsutis; stylo glabriusculo; stigmate bilobo. (Ut varietas.) Id. Ibid. p. 314.

Or. *maior*, caule simplici; bracteis lanceolatis flore maioribus. Loefb. It. p. 151. n. 35.

Sex Orobanches species. Grisl. Virid. Lusit. n. 1598.

Radix bulbosa obliqua, rarius verticalis, radicibus sibi vicinis aliarum plantarum adhærens, plus minusve ovato-oblonga, quatuor ad sex lineas in basi lata, ibique obtusa, radiculisque nonnullis prædita, intus solida subrufa, extus fusca, supernè squamis ad caulis basin lanceolatis, longe acuminatis, laxe imbricatis, fuscis, tecta. Inodora est, uti tota planta, leviter adstringens, vix acris, interdum amariuscula; annua.

Caulis simplicissimus, nunc farctus nunc fistulosus, erectus, quinque ad novem uncias altus, raro longior, infernè crassitudine pennæ gallinaceæ aut anserinæ, striato-angulosus, sæpe flavescens, plus minusve hirsutus, pilis brevibus, apice glanduliferis viscosis, plerumque paucifolius.

J. C. R. Sculp.

OROBANCHE *barbata*. ANTIRRHINUM *multipunctatum*.

Folia squamiformia, lanceolata, longe acuminata, integerrima, extus hirsuta et ciliata, intus glabra, sordide flava, demum fuscescentia, distanter alterna, ad caulis basin propriora et longiora, omnia sessilia, erecta, et cauli contigua, cito arescentia, citoque fragilia.

Spica terminalis, elongata, infernè primiflora, apice bracteis et calycibus cassifloris breviter comata. Rachis striato-angulosa, hirsuta: flores inodori, sessiles, alterni, infernè laxi, supernè propiores, et ibi sæpe plus minusve dense congesti. Bractea unica ad quemvis florem, lanceolata, longe acuminata et aristata, obscure rufa, hirsuta, subciliata, sessilis, calycis foliolis contigua, illis corollaque longior, raro in nonnullis floribus longitudine calycis, primum erecta, demum recurva, cito arescens.

Calyx diphyllus, foliolis extus hirsutis, intus glabris, obscure rufis vel interdum fuscis, infernè plus minusve inter sese oblique distantibus, singulo nunc indiviso lanceolato, acuminato, in aristam longitudine fere corollæ attenuato, nunc bifido, laciniis acutissimis in aristam attenuatis, aristis inæqualibus, alia alia longiore, corollæ tubum æquante aut subæquante.

Corolla flavescens (interdum sed raro ex albo lutea) sex ad octo lineas longa, longiorem nuspiam vidi, intus glabra, extus subpubescens, bilabiata: tubus supernè latior, ibique plus minusve cernuus, rugosus, basi angustior: labia longitudine sæpe æqualia, interdum aliud alio paulo brevius; superius concavum, postice carinatum, crispum, acute et inæqualiter crenatum, rotundatum, nonnullis in floribus obsolete bilobum, at sæpe integrum absque ulla emarginatura vel fissura, lateribus demum sæpe intro nec retro versis; interdum lineis purpureis, aut colore penitus purpureo, vel carneo, variare fertur. Labium inferius reflexum, ad tubi faucem bibullatum, trifidum, laciniis leviter inæqualibus, media vix longiore et vix latiore, rugosis, rotundatis, acute et inæqualiter crenatis.

Stam. filamenta didynama, dilute rufa, supernè glabra, infra medium villosa et ciliata, ibique latiora lineari-lanceolata, et usque ad tubi basin recte decurrentia, neque eorum nervis ad latera divergentibus aut ulla glandula apparenti terminatis. Antheræ biloculares, bilobæ, lobis in spinulam acuminatis, primum sæpe purpureæ, demum rufæ, glabræ, conniventes, sæpe distinctæ, in anthesi intra corollæ tubum reconditæ, postea vix aliqua ex illius fauce subexerta.

Nectarium ad basin germinis aut nullum, aut glandula minima obsoleta.

Pist. germen superum, flavum, seu ex albido flavescens, apice interdum purpurascens, oblongum, subteres, acutiusculum, glabrum, utroque latere unisulcatum. Stylus tenuiter filiformis, antheris plus minusve altior, usque ad apicem glabriusculus, seu perpaucis pilis valde dissitis instructus. Stigma nutans, purpureum demum fuscum,

bilobum (rarissime in nonnullis floribus trilobum) lobis glabriusculis, crassis, obtusis, contiguis, aut plus minusve distantibus.

Capsula oblonga, sublanceolata aut interdum subovalis, acuta, glabra, unilocularis, bivalvis, utrinque unisulcata. Semina numerosa, minima, obovata, rugosa, ex fulvo fucescentia, receptaculis duobus linearibus, fungosis, bialatis, canaliculatis, capsulæ valvulæ singulæ parieti interno adnatis et supra ipsum elevatis, adhæsa.

Habitat in agris cultis et incultis circa Olisiponem et alibi, radicibus leguminosarum et aliarum stirpium innascens. Floret vere. Annua.

Obs. In hujus speciei et sequentis individuis, partium pubescentia, magnitudo, longitudo, color, florum densitas vel laxitas in spicis, calycis basis unifolia vel bifolia ita in Lusitania variabilis, ut ad specificas differentias constituendas valde dubia et difficilia signa distinctiva suppeditent; quæ tamen pro istis duabus speciebus distinguendis selegi, illa minus varia et sæpius obvia, nonnullaque in omnibus individuis semper firma. His signis easdem facile distingui posse ab omnibus aliis Orabanches speciebus existimo. Orabanche *gracilis* et *minor* clariss. Link (Fl. Lusit. L. c.) non satis inter sese, nisi uti varietates ad nostram Or. *barbatam* attinentes, differre mihi videntur: Or. *gracilis* celeb. Smith a nostra differt maximè corollæ labio inferiori brevissimo, ejus laciniis obcordatis, et staminibus exertis, quæ omnia nuspiam in nostra observavi; Or. *minor* ejusdem et clar. Sutton, etsi nostræ nimis affinis, ab ea tamen differt præsertim laciniis labii inferioris corollæ æqualibus et stigmate retuso.

OROBANCHE *fœtida Lusitanica.*

Orob. caule unico simplicissimo, pubescente, calyce sæpe basi indiviso, unifolio, profunde bipartito, laciniis aristatis, bifidis, tubo corollæ paulo brevioribus; bractea florem æquante vel excedente; corolla quadrifida, ampla, crispa, inæqualiter crenata; staminibus basi dilatatis, ibique obsolete villosis, glandulosis, confluentibus; antheris cohærentibus, superioribus subexertis; stylo sparsim subpubescente, stigmate bipartito, lobis distantibus.

Lusit. *Herva toira denigrida.*

Or. *barbata atropurpurea.* Brot. Fl. Lusit. tom. 1. p. 183.

Or. *fœtida*, calycis phyllis bipartitis; corolla semiunciali, atropurpurea, margine crispa; staminibus basi hirsutis; stylo glabriusculo; stigmate bipartito. Link et Hoffm. Fl. Lusit. tom. 1. p. 316. tab. 62.

Or. *fœtida*, scapo simplici; bracteis angusto-lanceolatis, corolla longioribus; calyce diphyllo, laciniis bifidis, lanceolato-subulatis. Desf. Fl. Atlant. tom. 2. p. 59. tab. 144.

Orobanche flore specioso fimbriato ruberrimo. Schaw. Specim. n. 452.

Orob caule simplicissimo, pubescente; antheris exertis, mucronato-spinosis. Poiret Itin. 2. p. 195.

Orob. (maior 6.) Vahl. Symb. 2. p. 70.

Orob. *fœtida*, caule simplicissimo, subpubescente; calycibus bipartitis, submucronatis; spica comosa. La Marck Dict. Bot. Encycl. Meth. tom. 4. p. 621.

Orob. Lusitanica, flore atropurpureo. Tourn. I. R. H. p. 176.

Radix bulbosa, et qualis in Orobanche *barbata*, sed crassior.

Caulis unicus ex eadem radice, simplicissimus, erectus, sex ad tredecim uncias altus (spica supputata) infernè crassitudine pennæ anserinæ et ibi sæpe fistulosus, striato-angulosus, sæpe atropurpureus, uti tota planta, pubescens pilis brevibus apice glandulifero-viscosis, paucifolius.

Folia squamiformia, lanceolata, integerrima, acuminata et in aristam

attenuata, extus pubescentia et ciliata, intus glabra, distanter alterna, ad caulis basin propiora et longiora, omnia sessilia, erecta et cauli contigua, cito arescentia citoque fragilia.

Spica terminalis, cylindracea, elongata, infernè primiflorens, apice bracteis calycibusque sterilibus fasciculatis comata. Rachis striato-angulosa, hirsuta. Flores inodori, sessiles, alterni, subcernui, infernè laxi, supernè propiores et ibi sæpe plus minusve dense congesti. Bractea unica calyci contigua, illoque et corolla sæpe longior, sessilis, lanceolata, acuminata, in aristam attenuata, hirsuta, ciliata, primùm erecta, postèa recurva, cito arescens.

Calyx sub latere inferiore corollæ situs illudque amplexans, nunc sæpius ex linea usque ad lineas duas a basi distantes indivisus et unifolius, nunc ovario corollaque sensim illum prementibus, ibique in medio plus minusve rumpitur, bifoliusque redditur, foliolis bifidis; quod tam floribus imis, quàm mediis et supremis, evenire solet; lacinula utraque pubescens, ciliata, in aristam attenuata; earum alia longior interdum corollæ tubum æquans, at sæpe illo paulo brevior. Nonnunquam, etsi rarissime, prope basin laciniarum denticulus minimus, vel seta brevis inter ipsas, occurrit.

Corolla sæpe atropurpurea, interdum plus minusve obscure rufa, glabra, septem ad novem lineas longa: limbus bilabiatus: tubus amplus, sursum versus sensim latior, nervoso-venosus, crispatulus, dorso convexus et carinatus, subtus ferè planus: labium superius inferiori longitudine æquale, aut interdum parum brevius, intus concavum, extus carinatum, sæpe obsolete bilobum, seu subintegrum, emarginatura inter lobulos minima, vel interdum nulla, rotundatum, inæqualiter crenatum, crispum, erectum, lateribus demum retroversis: labium inferius reflexum, superiore latius, ad corollæ faucem bibullatum, trilobum, lobis rotundatis, inæqualiter crenatis, rugosis, inæqualibus, intermedio paulo latiori et longiore.

Stam. filamenta didynama, tenuiter filiformia, prope basin corollæ inserta, ibi fere glabra, vix decurrentia, nervosa, valde dilatata, nervis exterioribus divaricatis, inæqualibus, glandulâ quadam minimâ obscurate fulva lateraliter terminatis, confluentibus, omnia corollæ tubum sæpe non excellentia, sed illo paulo breviora, vel illius longitudine, sub antheris arcuata, et ibi perpaucis pilis sparsis prædita, cæterum glabra. Antheræ didymæ, biloculares, infernè bispinosæ, nunc per paria, nunc sæpius simul omnes lateraliter, mediis pilis viscosis, cohærentes, cæterum glabræ, plus minusve rufescentes, longitudine tubi corollæ, aut subexertæ, raro et nisi post anthesin, é fauce corollæ omnes exertæ.

Nectarium glandula ovata fulva ad basin germinis. Pist. germen oblongum, obtusum, subovale, utrinque unisulcatum, dilute purpureum, seu ex albido purpurascens, glabrum, interdum apice sub stylo nonnullis pilis instructum. Stylus atropurpureus, é basi usque

ad stigmatis lobos subpubescens, pilis brevibus, sparsis, apice glanduliferis. Stigma antheris plus minusve altius, semper versus illas incurvum, pilis brevissimis vel punctis glanduloso-viscosis aspersum bilobum, lobis distantibus, fuscis, apice obtuso crassioribus, intus planiusculis, extus convexis.

Capsula oblonga, obtusa, subovalis, glabra, unilocularis, bivalvis, sulcata, sæpe stylo persistenti terminata. Semina ut in Or. *barbata*; nonnulla, et sæpe omnia in spicæ capsulis superioribus, abortiunt.

Habitat in agris cultis et incultis prope Olisiponem. Floret vere. Annua.

Turiones hujus et sequentium specierum, ut illi Asparagorum, rusticis edules.

Obs. Colore interdum variat fere lutescente, et tunc vix specificè Or. *barbatæ* dissimilis, nisi basi staminum dilatata, glandulosa, et confluenti, ut ex recentioribus observationibus mihi innotuit. Or. *majori* etsi nimis affinis, et pro illius varietate a celeb. Vahl. habita, attamen basi staminum prædicta, necnon corolla rugosiori, crispatiori, ejusque crenulis plus inæqualibus ab illa specifice differre videtur. Cum Or. *fœtida* Neotericorum conjunxi, nam essentialibus notis specificis cum illa concordare verisimile, quanquam odore non fætido, caule unico, et aliis notis variantibus differat.

OROBANCHE *ramosa.*

Or. caule ramoso, simplicissimove, subvilloso; corolla recurvata, quinquefida, basi tumida, bracteis ternis nimis longiore; calyce monophyllo, campanulato, profunde bipartito, laciniis bifidis, corolla fere triplo brevioribus; capsula quadrisulcata, seminum receptaculis in utraque valvula in unum coalitis.

Lusit. *Herva toira ramosa.*

Or. *ramosa.* Brot. Fl. Lusit. tom. 1. p. 183.

Or. *ramosa*, calyce brevi, quadripartito, laciniis angustis elongatis; bracteis ternis; caule sæpe ramoso.
Link et Hoffm. Fl. Lusit. tom. 1. p. 317.

Or. *ramosa.* Lin. Sp. pl. ed. Willd. 3. p. 353. La Marck Dict. Bot. Encycl. Meth. tom. 4. p. 623, et alii neoterici Botanici.

Radix bulbosa, oblonga (parasitica radicum vicinarum plantarum) quatuor ad sex lineas infernè crassa, squamis nonnullis ovato-lanceolatis, acuminatis, fuscis, extus instructa.

Caules ex eàdem radice sæpe plures ramosi, interdum unus tantùm ramosus aut simplicissimus; omnes erecti, quinque ad septem uncias alti, infernè crassiores, crassitudine supernè pennæ columbinæ, farcti, striati, flavescentes, subvillosi, uti tota planta; rami alterni, erecti.

Folia squamis similia radicalibus, sessilia, subvillosa, é fusco fulva, cito arescentia, alia ad ramorum basin, alia duo triave minora, alterna infra spicas.

Flores spicati, alterni, valde laxi, superiores sessiles, inferiores pedicellati, pedicellis unam ad lineas duas longis. Spicæ caulem et ramos terminantes; caulina aliis longior, quatuor ad sex uncias longa, erecta uti etiam aliæ; rachis striato-angulosa, subvillosa. Bracteæ ad quemvis florem tres, quarum duæ laterales ad basin calycis setaceæ, villosæ, obscure fulvæ, laciniis calycis approximatæ et illis paulo breviores; infima sub floris pedicello, seu sub calyce, maxima, fusca, sessilis, acuminata, figura foliorum squamiformium caulis, laciniis calycis æqualis, aut paulo brevior.

Calyx monophyllus, breviter campanulatus, late concavus, corollam

Tab. 145.

OROBANCHE *ramosa.* **OROBANCHE** *fœtida Lusitanica.*

infimè ambiens, fulvus, extus subvillosus, intus glaber, profunde bipartitus, lacinia utraque bifida, biaristata, aristis subæqualibus, longitudine germinis, corolla verò fere triplo brevioribus.

Corolla unciam longa, bilabiata; tubus infernè, ubi germen tegit, valde tumidus, membranaceus, ex albido purpurascens, glabriusculus, paulo infra medium nimis coarctatus, exinde sensim ampliatus, longitudinaliter rugosus, posticè carinatus, flavescens, subvillosus, valde cernuus: labium superius apertum, concavum, postice carinatum, bifidum, laciniis minimis acutiusculis, extus et intus hirsutis, ciliatis, demum lateribus revolutis: labium inferius reflexum, ad faucem tubi duabus bullis villosissimis elevatum, trifidum, laciniis æqualibus, aut subæqualibus, ovatis, obtusiusuculis, obsolete crenulatis, flavis, vel purpureis, ciliatis, rugosis, extus et intus hirsutis.

Staminum filamenta didynama, tubo in coarctatione inserta, flava, infernè crassiora, subulata, subvillosa, supernè glabra, in tubo cum antheris recondita. Antheræ bilobæ, biloculares, infernè bispinosæ, glabræ, flavæ, demum exalbidæ, contiguæ, sed non cohærentes.

Nectarium ad basin germinis vix ullum. Pistilli germen ovatum, acutiusculum, obsolete quadrisulcatum, glabrum, ex albido purpurascens: stylus ex flavo fuscus, glaber, longitudine antherarum, aut paulo altior: stigma crassum, nunc retusum, nunc in medio unisulcatum aut obsolete obcordatum, fuscum, antheris sæpe paulo altius, et ad ipsas incurvatum.

Capsula ovata; acutiuscula, quadrisulcata, unilocularis, bivalvis. Semina numerosa, minutissima, fusca, unico, raro duobus contiguis, receptaculo fungoso, in medio singulæ valvulæ elevato, affixa.

Habitat in agris et collibus circa Olisiponem, Conimbricam et alibi Floret vere. Annua.

Variat florum colore, flavo, purpurascente, aut istis variegato; item caule simplicissimo, etsi ex ejusdem speciei ramosæ seminibus, quare pro diversa specie non habenda.

RHINANTHUS *trixago.*

Rh. spica coarctato-tetragona; corollæ labio utroque flavescenti; superiore paulo breviori, sæpe integerrimo; inferiore trilobo, laciniis lateralibus intermedia latioribus; bracteis serratis, superioribus integerrimis; foliis oppositis suboppositisve, lanceolatis, obtuse et remote serratis; caule tereti subteretive, sæpe simplicissimo.

Rh. *trixago.* Brot. Fl. Lusit. tom. 1. pag. 186. Lin. Sp. pl. ed. Willd. tom. 3. p. 189. La Marck Dict. Bot. Encycl. Meth. tom. 4. p. 59.

Lasiopera *rhinanthina.* Link et Hoffm. Fl. Lusit. tom. 1. p. 298.

Alectorolophos flore luteo. Grisl. Virid. Lusit. n. 57.

Radix fibrosa, annua.

Caulis teres, subteresve, pilis brevibus, rigidulis, basique incrassatis hirsutus, erectus, sæpe simplicissimus, interdum simplex tuncque ramis paucis oppositis, nonnullis interdum plus minusve alterne sitis, omnibus indivisis, sæpe brevibus, rarissime longiusculis.

Folia sæpe opposita, decussata, superiora nonnunquam subopposita, omnia patentia, sessilia, lanceolata, acuta, dentibus obtusiusculis distantibusque serrata, viridia, rugosa, pilis brevibus hirsuta et scabra.

Spica caulem, rarissime nonnullos etiam ramulos terminans, quasi tetragona, duas ad quatuor uncias longa, floribus foliisque floralibus oppositis, sessilibus, coarctatis, instructa.

Folia floralia inferiora serrata et caulis supremis foliis similia, pilis vesiculâ resinosâ terminatis hirsuta, floribus longiora, vel interdum æqualia; superiora sensim minora, floribus breviora, ovata vel subcordata, acuta, integerrima; suprema minimâ, imbricata, sæpe sterilia.

Calyx monophyllus, subventricosus, brevis, pilis viscosis hirsutus, bipartitus; laciniâ utraque bidentata, dentibus subæqualibus, obtusis.

Corolla flavescens; tubus calyce longior; labium superius inferiore paulo brevius et angustius, subpubescens, concavum, carinatum, apice sæpe acutiusculo et integerrimo; labium inferius latum, trilobum, laciniis obtusis, lateralibus dilatatis, media angustiore.

1 RHINANTHUS *trixago* 2 RHINANTHUS *trixago maior* 3 RHINANTHUS *trixago nanus*

STAMINUM filamenta didynama, longitudine labii superioris, vel sub ipso recondita. Antheræ hirsutæ, incumbentes, didymæ, infernè acutæ, sæpe per paria adhærentes.

PISTILLI germen ovatum, compressum, villosum. Stylus filiformis, situ staminum, eisque vix longior, basi sæpe persistens. Stigma crassiusculum, obtusum, inflexum.

CAPSULA ovata, obtusiuscula, turgida, hirsuta, calyce persistente vix brevior, bivalvis, bilocularis, dissepimento contrario. Semina multa, minuta, oblonga, lente vitreâ visa striata, angulata, absque ullo margine membranaceo.

HABITAT in humentibus montosis *de Cintra* usque ad Olisiponensia suburbana, trans Tagum quoque in ora maritima præsertim prope promontorium barbaricum, vulgo *Cabo de Espichel*. Floret vere. Annuus.

PLANTA inodora; sapore leviter amaro et acriuscnlo prædita.

OBS. 1.° Variat foliorum magnitudine, et caulis altitudine, isto ex quatuor scilicet usque ad uncias duodecim et ultra alto, simplicissimo aut simplici, tuncque ramis ex una ad sex uncias longis. Folia floralia etiam magnitudine marginibusque variant; suprema tamen spicæ semper integerrima, corollaque breviora.

OBS. 2.° Rhinanthus *maximus* (Lin. Sp. pl. ed. Willd.) etsi corolla luteâ et notis nonnullis aliis Bartsiæ *viscosæ* affinis, non ejus tamen, sed potius nostri Rhinanthi maioris varietas esse videtur. Rhin. *versicolor* adhuc dubia species, et fortè cum Rh. *trixagine* uti varietas conjungendus, quamvis caule sæpe obtuse quadrangulo, leviter quadrisulcato, raroque simplicissimo, corolla constantissime variegata, et labio superiore sæpe subbifido aut emarginato, specificè differre videatur

SCROPHULARIA *sublyrata.*

Scr. caule glabro; foliis radicalibus et infimis sublyratis, laciniis oblongiuscule ovatis, inciso-serratis, superioribus subinterrupte pinnatis, foliolis lanceolatis, profunde serratis, supremis ad flores simplicissimis; panicula terminali, racemulis brevibus, pedunculis trichotomis; corolla mediocri.

Scr. *ebulifolia.* Link Fl. Lusit. 1. p. 270. tab. 54.

Scr. *lyrata.* Willden. Hort. Berol. tab. 55. *uti varietas pubescens.* Eadem La Marck Dict. Bot. Encycl. Suppl. tom. 5. pag. 116.

Radix lignosa, perennis. Caulis sesquipedalis ad tripedalis, a foliorum petiolis leviter decurrentibus subquadrangulus, glaber, erectus, ramosus; ramis brevibus.

Folia omnia sæpe glabra, radicalia et infima caulis pinnatifida, sublyrata, longe petiolata, foliolis oppositis, subovatis, inciso-serratis, aut interdum duplicato-serratis, obtusiusculis, venosis, rugosis, terminali maximo, ovato, obtuso, in lacinias irregulariter serratas fisso; superiora pinnata, foliolis angustioribus, oppositis, breviter petiolatis, lanceolatis, acutis, serratis, nonnullis intermediis minoribus; suprema ternata vel simplicia, in petiolum brevissimum extenuata.

Panicula terminalis, oblonga, ex racemulis pluribus, inferioribus oppositis, aliis alternis, composita, plerumque glabra; racemuli axillares, solitarii, breves, pauciflori, pedunculis trichotomis, intermedio longiore. Folia floralia lanceolata, acuta.

Calyx quinquefidus, laciniis obtusis, margine late membranaceis, corollæ tubo brevioribus.

Corolla mediocris, quatuor quinqueve lineas longa; tubus inflatus, subglobosus; limbus bilabiatus, labium superius fuscum, interdum obscure purpureum, inferiore longius, erectum, bilobum, lobo utroque obtuso, cum appendicula squamiformi emarginata intus ad faucem; labium inferius trifidum, ex viridi lutescens, laciniis duabus lateralibus patulis, obtusis, intermedia reflexa.

Staminum filamenta didynama, inclusa, interdum piloso-viscosa: antheræ reniformes, luteæ. Pistilli germen ovatum; stylus staminibus longior; stigma obtusum, fere bilobum.

Tab. 147.

SCROPHULARIA *sublyrata*

Capsula calyce persistente longior, ovata, breviter acuta, glabra, bilocularis, bivalvis, polysperma; dissepimentum per maturitatem foramine ovali pervium. Semina tuberculata, receptaculo fungoso, quod dissepimento adnatum est, adhærentia.

Habitat in maritimis circa oppidum *Setubal*, at nonnullæ ipsius varietates in montosis Interamniæ et Transmontanæ. Floret Maio, Junio, Julio. Perennis.

Planta odore et sapore ingrato. Usus ignotus. Variat interdum habitu glabriusculo: species equidem inter Scr. *melliferam* et *sambucifoliam* media, et quasi prioris varietas.

SCROPHULARIA *Herminii.*

Scr. caule hirsuto; foliis pubescentibus, late cordatis, acutiusculis, non rugosis, dentatis, dentibus acutis, sæpe integerrimis, petiolis lamina brevioribus; panicula terminali, pedunculis axillaribus, solitariis, paucifloris.

Scr. *Herminii* Link Fl. Lusit. 1. p. 266. tab. 53.

Radix lignosa, infernè ramosiuscula, perennis.

Caules pauci ex eadem radice, quadranguli, hirsuti, erecti, sesquipedales ad tripedales, ramosi, ramis erectis.

Folia omnia pubescentia, petiolis longiora, opposita, inferiora ad tres uncias cum dimidia longa, et vix latitudine minora, cordata, dentata, dentibus magnis, acutiusculis, fere omnibus plerumque indivisis; superiora sensim versus apicem caulis et ramorum decrescentia, cordata, subcordatave, acuta et profunde serrata.

Panicula terminalis; racemuli axillares, inferiores oppositi, superiores alterni, omnes breves, pauciflori, floribus tribus ad quinque aut paulo ultra: folia floralia sub pedunculis lanceolata, serrata.

Calycis laciniæ parvæ, obtusæ, marginibus subscariosa. Corolla, ut in genere, quinque lineas longa; labio superiore bilobo, erecto, dilute fusco, cum appendicula lutea, emarginata; inferiore virente. Stamina inclusa; antheræ flavæ. Stylus staminibus longior; stigma obtusum, fere bilobum. Capsula conica, acuta, glabra.

Habitat in jugis, clivisque Herminii. Floret Junio, Julio. Perennis.

Obs. Variat interdum dentibus foliorum in aliquos minores divisis; sed folia nunquam oblonga adeo sunt, ut triplo longiora quam lata; quapropter præsertim a Scr. *betonicæfoliâ* diversa, prout a Linnæo describitur tanquam Lusitaniæ indigena; quæ tamen species nec a me, nec a clar. Linkio, nec ab aliis Botanicis, qui recentissime Floræ affectu Lusitaniam perambularunt, ullibi in eâ spontanea usque adhuc reperta fuit.

SCROPHULARIA *Herminii*

DIGITALIS *purpurea tomentosa*

DIGITALIS *purpurea tomentosa*.

Dig. foliis petiolatis, ovato-lanceolatis, serrato-dentatis, supra viridibus, subrugosis, subpubescentibus, subtus incano-tomentosis; laciniis calycinis ovatis, acutiusculis, tomentosis; corollis purpureis, calyce multo longioribus, villosiusculis, limbo subquadrilobo, supernè integro.

Lusit. *Digital*, *Dedaleira*, *ou Herva dedal.*

Digitalis *purpurea*. Brot. Fl. Lusit. 1. p. 200. *(uti varietas)*

Digitalis *tomentosa*. Link Fl. Lusit. 1. p. 221. tab. 29.

Digitalis flore purpureo et albo. Grisley Virid. Lusit. n. 440.

Radix lignosa, ramosiuscula, alba, amara, acris, biennis.

Caulis solitarius, teres, plus minusve tomentosus, erectus, duos ad tres pedes altus, sæpe simplicissimus, raro uno alterove ramo terminatus.

Folia radicalia et inferiora caulis ovato-lanceolata, acutiuscula, serrato-dentata, aut nonnulla obtusè crenata, quatuor ad sex uncias longa, duas tresve lata, in petiolum plus minusve longum attenuata, supra viridia, subrugosa, subpubescentia, subtus incano-tomentosa; superiora minora, alterna, lanceolata, serrata, sessilia, suprema integerrima.

Racemi terminales, longi; flores alterni, solitarii, laxi, nutantes, secundi. Bracteæ solitariæ, ovato-lanceolatæ, pedunculis sæpe longiores.

Calyx profunde quinquepartitus, laciniis ovatis, acutiusculis, plus minusve tomentosis, quatuor ad sex lineas longis, duas tresve latis, una sæpe angustiore, omnibus persistentibus.

Corolla campanulata, ventricosa, unciam ad sesquiunciam longa, limbo oblique quadrilobo aut subquadrilobo, supernè integro, villosiuscula, purpurea, intus maculis obscurioris coloris, nonnullis ocellaribus, aliis cæcis, adspersa: raro alba.

Stamina didynama, corolla breviora. Germen ovatum, subpubescens; stylus staminibus subæqualis; stigma bifidum, hirsutum.

Capsula ovato-pyramidata, subpubescens, bilocularis, bivalvis: dissepimentum ex marginibus valvularum introrsum flexis formatum: valvulæ per maturitatem bifidæ, interdum fere usque ab basin bipartitæ. Semina plurima, parva, scrobiculata, receptaculo fungoso, oblongo, affixa.

Habitat ad ima montium et collium in subumbrosis, et humidulis, præsertim in provinciis Lusitaniæ meridionalibus. Floret Maio, Junio. Biennis.

Obs. Planta tam amaritie et acritate, quàm viribus medicis et notis essentialibus specificis Digitali *purpureæ* similis; nec differentiæ accidentales, quæ in tomentositate foliorum et calycis, in corollis brevioribus, limbo paulo minori et minus prominente, maculisque ocellaribus pauculis, aut omnibus cæcis, satis constantes ut speciem re vera diversam constituant, sunt enim pro situ locorum, expositione, et solo nimis variabiles adeo, ut planta tunc vix ac ne vix a Digitali *purpurea* differat.

Tab. 150

J. C. R. Sculp.

DIGITALIS *Thapsi.*

DIGITALIS *thapsi.*

Dig. foliis lanceolatis, serratis, pilosis, inferioribus petiolatis, superioribus sessilibus, decurrentibus; laciniis calycinis ovato-lanceolatis, acutis, pilosis, inæqualibus; corolla calyce multo longiore, purpurascente, hirsuta, limbo quadrilobo, supernè integro.

Digitalis *thapsi.* Linn. Sp. pl. ed. Willd. 3. p. 284. La Marck Dict Bot. Encycl. tom. 2. p. 279. Smith. Exot. Bot. Fosc. 9. p. 83. tab. 43. Brot. Fl. Lusit. 1. p. 200. Link Fl. Lusit. 1. p. 223. tab. 30.

Digitalis Verbasci folio, purpurea minor, perennis, Hispanica. Barrel. Icon. 1183.

Caulis erectus, supernè subramosus, pilosus, pilis crispis, subfuscis, pluribus sæpe vesiculâ viscosa terminatis.

Folia lanceolata, acute serrata, acutaque, suprà pilosa, subtus venosa, subtomentosa; inferiora in petiolum attenuata, superiora sessilia, plus minusve decurrentia.

Racemi terminales. Flores alterni, laxi, nutantes, secundi. Bracteæ unifloræ, acutæ, pilosæ, pedunculis valde longiores.

Calycis laciniæ ovato-lanceolatæ, acutæ, pilosæ, inæquales, una angustiore, et breviore.

Corolla calyce multo longior, purpurea, hirsuta, intus punctis saturate purpureis, aut subsanguineis adspersa, limbo oblique quadrilobo, supernè indiviso.

Capsula ovata, subpyramidata, pubescens, bilocularis, bivalvis: valvulæ per maturitatem bifidæ: dissepimentum ex inflexis valvularum marginibus formatum: receptaculum oblongum, fungosum, bilamellatum, lamellis, mediante aliâ integerrimâ transversâ, dissepimento adhærentibus. Semina parva, subrotunda, scorbiculata, dissepimento affixa.

Habitat in montosis inter *Lamego* et *Viseu*, in convallibus circa Herminium, ad ripas Mundæ prope Conimbricam, et alibi in Beira. Floret Maio, Junio. Perennis.

Planta amara, acris, graveolens, viribus medicinalibus similis præcedenti, et ei facie nimis affinis, specifice tamen foliis præsertim decurrentibus diversa. Uti filia Digitalis *purpureæ* é Verbasco *Thapso* a nonnullis Botanicis habita; an tamen istarum stirpium hybrida proles?

URTICA *caudata*

URTICA *caudata.*

Urt. foliis opositis, ovatis, grosse serratis, inferioribus ovato-subcordatis; spicis monoicis dioicisve, utrinque geminis, simplicibus; masculis linearibus, rachi filiformi alatis, subtus nudifloris, prælongis, patentibus; fæmineis cylindraceis, pedunculatis, erecto-patulis; stipula utrinque unica, ovata, binervi, apice bidentata.

Lusit. *Urtiga de caudas.*

Urtica *Lusitana.* Brot. Flor. Lusit. 1. p. 205.

Urtica annua, longius caudata, vulgatissima, Lusitana et Africana. Grisley Virid. Lusit. n. 1492.

Urtica *caudata*, foliis oppositis, cordatis, racemis geminis, simplicissimis, longissimis. Vahl. Symb. fasc. 2. p. 96.

Radix subramosa, fibrosa, dura, albida, annua.

Caules solitarii, vel plures ex eadem radice, erecti, altitudine nimis variantes, ex semipede ad usque tres fere pedes, obtuse quadranguli, quadrisulcati, undique aculeolis adurentibus, uti tota planta, conspersi, ramosi; ramis axillaribus, oppositis, erecto-patulis.

Folia opposita, petiolata, patentia, ovata, acuta, grosse serrata, unam ad tres uncias longa, inferiora caulis interdum ovato-subcordata, aut ovato subrotunda, superiora paulo minora, sæpe ovato-lanceolata, omnia quinquenervi-venosa, utrinque viridia et urentia; stimuli in superiori paginâ punctis convexis parenchymatis, in inferiori autem simpliciter nervis aut venis insident. Petiolus suprà canaliculatus, subtus carinatus, laminâ folii plerumque paulo brevior, in caulibus vero vegetioribus interdum illâ longior.

Stipulæ oppositæ, una utrinque, ovata, basi latissima angulum caulis ad latera duorum petiolorum et sub duobus pedunculis amplexans, membranacea, viridis, sursum versus, angustata, margine revoluta, binervis, apice brevissime bifida seu bidentea, quatuor quinqueve lineas longa, patentissima, demum reflexa.

Amenta sæpius monoica, superiora caulis et ramorum omnia integre mascula, inferiora vero omnia integre fæminea; vel etiam in masculorum apice, aut secundum illorum longitudinem, nonnulli flores fæminei, sicut in fæmineis nonnulli masculi commixti occurrunt. In-

terdum in omnibus ejusdem radicis caulibus et ramis amenta superiora et inferiora singula merè mascula, sicut in omnibus distinctæ radicis cuncta pure fæminea: unde vere dioica.

Amenta mascula axillaria, utrinque gemina; pedunculata, simplicissima, rachi filiformia, utroque margine alato-membranacea, sesquilineam lata, duas uncias ad quinque longa, foliorum petiolo longiora, patentia, ad apicem subarcuata, supernè florifera, subtus nuda et fere inermia. Flores glomerati, subsessiles, pedicellis brevissimis, capillaribus. Pedunculi filiformes absque alis membranaceis, supra canaliculati, subtus carinati, semiunciam ad sesquiunciam longi, petiolo foliorum vicinorum semper plus minusve breviores. Amenta fæminea etiam axillaria, utrinque geminata, et pariter ut mascula pedunculata, omnia cylindracea, floribus glomeratis subsessilibus, nunc brevissima tres ad octo lineas longa, nunc præsertim in dioicis unam unciam ad usque duas cum dimidia longa, erecto-patula, vel patentia.

Calyx in masculis tetraphyllus, foliolis minimis, æqualibus, obovato-subrotundis, concavis, cruciate incurvatis, intus glabris, extus hirsutis, viridibus, aut interdum subpurpureis. Corolla nulla. Staminum filamenta quatuor, subulata, calyce duplo longiora; primodum intra singulum foliolum calycis singula conduplicate recondita, postea in anthesi simul cum antheris elastice erumpentia, recurvata: antheræ luteæ, subrotundæ, didymæ. In centro floris rudimentum minimum pistilli glandulosum, hyalinum, cyathiforme.

Calyx in fæmineis tetraphyllus, foliolis viridibus, oppositis, concavis, erectis, ciliatis; duobus maioribus, ovato-subcordatis, obtusis, duobus aliis, ad eorum basin cruciate sitis, ovatis, triplo quaduplove minoribus, omnibus persistentibus. Corolla nulla. Pistilli germen superum, ovatum, compressum: stylus nullus: stigma purpurascens, subvillosum.

Pericarpium nullum. Semen unicum, ovatum, compressum, nitidum, calyce tectum.

Habitat in hortis, in subumbrosis incultis, ad sepes, vias, murosque frequens in tota fere Lusitania. Floret vere. Annua.

Obs. 1.° Qualitate et viribus similis Urticæ *urenti* et *dioicæ*, quibus cohabitat, nimis affinis, et quarum hybrida proles esse videtur. Cum eisdem tamen non confundenda, differt enim a prima præsertim numero et forma stipularum, spicis interdum dioicis, et masculis semper alatis; differt quoque ab Urtica *dioica* maxime stipulis ovatis, nec lineari-lanceolatis, amentis sæpe monoicis, non ramosis, sed simplicissimis et masculis utrinque membranaceis.

Obs. 2.° Urticam *caudatam* stipulis ovatis, quæ apud Tunetum in Africa provenit, cum celeber. Vahl eandem ac nostram Lusitanam esse

existimamus : sed Urtica *membranacea* clar. Poiret, Desfont., et Willd. alia diversa planta nobis esse videtur, namque prout a Clar. Poiret describitur (La Mark Dict. Bot. Encycl. 4. p. 638) ei caulis est subalbidus, folia omnia ovata, subglauca, laminâ petiolis semper breviore, stipulæ lineares, acutæ, flores omnes monoici, spicæ fæmineæ sessiles, duas tresve lineas tantùm longæ : an tamen nostræ varietas ? denuò observanda.

PENTANTHERIA MONOSTYLIA.

VERBASCUM *crassifolium.*

Verb. foliis utrinque dense tomentosis, radicalibus in petiolum angustatis, caulinis sessilibus, subdecurrentibus; caule simplici; staminum filamentis omnibus sæpe glabris.

Verbascum *crassifolium.* Link Flor. Lusit. 1. p. 213. tab. 26. Decandolle Synops p. 255. et Fl. Franc. 3. p. 601. *(forte idem, varietas* (b) *exclusis synonymis.)*

Radix lignosa, ramosa, alba Caulis erectus, duos ad quatuor pedes altus, teres a foliis breviter decurrentibus subalatus, dense tomentosus, sæpe simplex, rarius uno aliove ramo brevi terminatus.

Folia venosa, utrinque incano-lanuginosa, ferè integerrima, seu obsolete crenulata; radicalia et infima caulis ovata, obtusa, in petiolum angustata, alia alterna, lanceolata, acuta, sessilia, breviter decurrentia.

Spica terminalis, simplex, teres, densa: pedunculi breves, tomentosi, fasciculati. Bracteæ lanceolatæ, acutæ, subpubescentes, calycibus longiores.

Calyx quinquepartitus, laciniis lanceolatis, acutis, tomentosis, persistentibus. Corolla flava, plus minusve uncialis, rotata, laciniis rotundatis, subinæqualibus, extus subpubescentibus.

Staminum filamenta quinque, corolla breviora, inæqualia, duo longiora, omnia sæpe glabra, interdum uno aliove ad basin hirsuto. Antheræ glabræ, fulvæ, plus minusve reniformes.

Pistilli germen ovatum, tomentosum. Stylus glaber, longitudine staminum. Stigma crassiusculum, obtusum.

Capsula parva, ovata, acuta, pubescens, bilocularis, bivalvis, polysperma. Semina angulata.

Tab. 152.

VERBASCUM *crassifolium*

Habitat in sterilibus, et arenosis maritimis, præsertim prope *Colares*. Floret Maio, Junio. Bienne.

Qualitates et vires ut illæ Verbasci *Thapsi*, cui nimis affine, et quasi varietas.

VERBASCUM *macranthum.*

Verb. foliis utrinque dense tomentosis, radicalibus petiolatis, caulinis sessilibus, decurrentibus; caule simplici, tenuiter tomentoso; corollis calycem longe excedentibus; staminum filamentis hirsutis.

Verbascum *macranthum.* Link Fl. Lusit. 1. p. 215. tab. 27.

Caulis fuscescens, tenuiter tomentosus, tomento hinc inde deciduo nudus, teres, á foliis decurrentibus alatus, simplex, erectus, duos tresve pedes altus.

Folia radicalia ovato-lanceolata, lamina quatuor uncias et ultra longa, sesquiunciam duasve uncias lata, in petiolum ad uncias duas angustata, acutiuscula, leviter crenata, rugosa, crassa, utrinque dense tomentosa, minus tamen quàm in præcedente Vesbasco *crassifolio*; caulina acutiora, longe decurrentia, sensim versus caulis apicem decrescentia.

Spica valde laxa; bracteæ lanceolatæ, pubescentes, calycibus longiores, subdecurrentes.

Calyx quinquepartitus, laciniis lanceolatis, acutis, subpubescentibus.

Corolla magna, flava, quinquepartita, laciniis rotundatis, quinque sexve lineas longis, quatuor latis. Staminum filamenta tria tota villosa, duo tantùm ad basin. Capsula parva, ovata, acuta, pubescens.

Habitat in Provinciis Lusitaniæ borealibus, et ibi non raro ad vias. Floret Maio et Junio. Bienne.

Qualitates et vires ut illæ Verbasci *Thapsi*, et Verb. *crassifolii*, cui nimis affine, sed differt foliis minus dense tomentosis, spica laxa, corolla multo maiori, et staminum filamentis omnibus villosis.

I. C. R. Sculp.

VERBASCUM *macranthum*

VERBASCUM *blattarioides*.

VERBASCUM *blattarioides.*

Verb. foliis utrinque subpubescentibus, radicalibus petiolatis, oblongis, duplicato-crenatis, caulinis amplexicaulibus; caule sparse piloso, pilis apice glandulosis; spica longissima, laxa, bracteis unifloris, bifloris aut trifloris; pedunculis calyce brevioribus.

Lusit. *Blattaria maior.*

Verbascum *blattarioides.* La Marck Dict. Bot. Encycl. tom. 4. p. 225. Brot. Fl. Lusit. tom. 1. p. 272. Link Fl. Lusit. 1. p. 219. tab. 28.

Verbascum *viscidulum.* Person Enchirid. 1. p. 215.

Blattaria flore maximo elegans. Grisley Virid. Lusit. n. 205.

Radix alba, lignosa, supernè crassitudine digiti, infernè ramosa.

Caulis erectus, duos ad quatuor pedes altus, angulosus, pilosus, pilis sparsis, glandula viscosa terminatis, subramosus, ramis duobus ad quatuor erectis, raro simplicissimus.

Folia omnia saturate viridia, nitida, rugosa, utrinque maximè subtus in venis subpubescentia, radicalia septem ad novem uncias longa, duas ad tres lata, in petiolum angustata, late lanceolata, acuta, et acutè duplicato-crenata, seu subsinuata; caulina alterna, oblonga, lanceolata, acutè crenata, sessilia, amplexicaulia, sensim usque ad spicam decrescentia; suprema ovata, seu subcordata, acuminata.

Spica terminalis, longissima, laxa: flores inferiores bini, aut terni in singula bractea, superiores plerumque in qualibet solitarii, omnes breviter pedicellati, pedicellis lineam sesquilineamve longis, calyce brevioribus, pubescentibus. Bracteæ alternæ, in floribus spicæ infimis formâ foliorum supremorum, denticulatæ, ciliatæ, calyce longiores, ad spicæ apicem anguste lanceolatæ, calyce breviores.

Calyx corolla valde brevior, quinquepartitus, laciniis tres quatuorve lineas longis, erecto-patulis, æqualibus, lanceolatis, acutis, viridibus, ciliatis, pilis brevibus, apice glandulosis. Corolla lutea, rotata, tredecim ad quindecim lineas lata, extus subpubescens, intus ad faucem pilis purpureis hirsuta, circuloque purpureo colorata, laciniis rotundatis, inæqualibus, tribus sæpe maioribus.

Staminum filamenta lutea, corolla dimidio breviora, inæqualia, duo

altiora, incurva, infernèque tantum villosa, tria alia tota villosa, pilis purpureis: antheræ arcuatæ, fulvæ. Pistilli germen ovato-subrotundum: stylus flavus, glaber, versus apicem crassescens: stigma simplex, obtusum.

Capsula globosa, glabra, lucida, calyce cincta, bilocularis, bivalvis, polysperma, apice dehiscens: dissepimentum duplicatum, ex marginibus valvularum introrsum flexis formatum. Semina parva, angulosa, scrobiculata, utrinque receptaculo centrali, oblongo, fungoso, affixa.

Habitat in collibus et agris circa Conimbricam, item ad *Bellas* et ex *Carnachide* usque ad montes de *Cintra* et alibi in Extremadura et Beira. Floret Junio, Julio. Bienne.

Planta amara et inodora; ejus usus ignotus. Nimis affinis Verbasco *blattariæ*, et quasi illius varietas; differt tamen habitu plus piloso, floribus quamplurimis binis ternisve in qualibet bractea, et pedunculis omnibus calyce brevioribus. Occurrit interdum, etsi raró, caule simplicissimo; in hortis culta nonnumquam etiam filamento uno minimo sterili, et sic tunc quasi Celsiæ species.

Tab. 155

I. C. R. Sculp.

LITHOSPERMUM *fruticoſum*.

LITHOSPERMUM *fruticosum.*

Lith. caule frutescente; foliis sublinearibus, integerrimis, margine revolutis, scabris, hispidis; corollis calyce valde maioribus; staminibus longitudine tubi; seminibus lævibus.

Lusit. *Herva das sete sangrias*, ou *Sargaça hispida.*

Lithospermum *fruticosum.* Lin. Sp pl. ed. Willd. 1. p. 754. La Marck Dict. Bot. Encycl. 3. p. 30. Desfont. Fl. Atlant. 1. p. 156. Brot. Fl. Lusit. 1. p. 292. Link Fl. Lusit. 1. p. 170. tab. 21.

Anchusa angustifolia. C. Bauh. Pin. 255 Anchusa minor lignosior. J. Bauh. Hist. Pl. 3. p. 582. et Libanotidis species. Id. Ibid. 2. p. 25. Anchusa lignosior angustifolia. Lob. Icon. 578. Anchusa lignosior Monspeliensium, flore violaceo. Barrel. Icon. 1168. Anchusa frutescens tenuifolia, flore cæruleo vivacissimo. Grisley Virid Lusit. n. 96.

Buglossum fruticosum Lusitanicum, Lithospermi folio. Tournef. Inst. R. H. 134 Buglossum fruticosum, Rosmarini folio. Id. Ibid. 134. et Garid. Aix 68. tab. 15.

Radix lignosa, fusca, rigida, profunde ramosa, perennis. Caules solitarii, aut pauci, duo tresve ex eadem radice, fruticosi, ex semipede ad pedem longi, sæpe subtortuosi, ad basin glabri, nudifoliique, deinde foliosi, hispidi, ramosi; ramis alternis, hirsutis, longitudine caulis, plus minusve divisis.

Folia alterna, sessilia, angusta, sublinearia, acutiuscula, integerrima, sæpe margine revoluta, obscure virentia, scabra, hispida; ad exortum ramulorum in axillis ullis plura minora fasciculata.

Spicæ terminales, breves, hirsutæ: flores pauci, subsessiles: ad uniuscujusque basin bractea foliacea, ovato-lanceolata, acuminata, hirsuta, ciliata, calyce longior.

Calyx profunde quinquepartitus, laciniis lineari-subulatis, hirsutis, erectis, persistentibus.

Corolla infundibuliformis, purpurea, seu ex violaceo-cærulea: tubus cylindraceus, extus subpubescens, calyce fere duplo longior: limbus quinquefidus, laciniis ovatis, acutiusculis, patentibus: faux nuda, pervia.

STAMINUM filamenta quinque, longitudine tubi corollæ: antheræ fulvæ. Pistilli germina quatuor, glabra; stylus longitudine staminum; stigma obtusum.

SEMINA quatuor in fundo calycis, albida, aut ex albido cinerea, dura, glabra, lævia, nitida.

HABITAT in ericetis, et dumetis sabulosis, præcipue maritimis, frequens. Floret ex Martio ad Junium. Frutex.

PLANTA insipida et inodora. In pagis ut sudorifera usitata.

Tab. 156

Santos delin

ANCHUSA *italica.*

ANCHUSA *Italica.*

Anch. foliis lanceolatis, integerrimis, hispidis, superioribus sessilibus; racemis bipartitis, apice recurvis; floribus laxe imbricatis, uno in dichotomiis; squamis faucis corollæ pilosis.

Lusit. *Lingua de vacca*, *ou Buglossa do Reino.*

Anchusa *Italica.* Retz Obs. 1. pag. 12. Lin. Sp. pl. ed. Willden. 1. p. 756. La Marck Dict. Bot. Encycl. Suppl. tom. 1. p. 735. Trew. Dec. 2. p. 14. tab. 13. Vogel tab. 28. Link. Fl. Lusit. 1. p. 175.

Anchusa *officinalis.* La Marck Dict. Bot. Encycl. tom. 1. pag. 502. et Illustr. Gen. tab. 92. Desfont. Fl. Atlant. 1. p. 157. Savi Pis. p. 204. Gouan Hort. Monsp. 81. Brot. Fl. Lusit. 1. p. 297.

Buglossum. Blakw. tab. 500. Regnault Bot. Icon. *(Buglosse)* Sabb. Hort. 2. tab. 24.

Buglossum angustifolium maius, flore cæruleo. C. Bauh. Pin. p. 256.

Buglossum vulgare maius. Joh. Bauh. Hist. Pl. 3. p. 578.

Buglossum vulgare. Grisley Virid. Lusit. n. 233. Raj. Hist. 493.

Radix oblonga, fere crassitudine digiti, infernè ramosa, extus fusca, intus alba, biennis, aut interdum longius perdurans.

Folia omnia lanceolata, integerrima, acuta, sublucida, hispida, ut tota planta, pilis basi incrassatis tuberculatisque; radicalia et inferiora caulis in petiolum decurrentia, planiuscula, superiora sensim minora, sessilia.

Caulis teres, asper, strigosus, erectus, pedalis usque ad duos pedes altus (raro ultra, nisi in pingui solo, subhumido, umbroso) ramosus; ramis patentibus.

Racemi terminales, bipartiti, breves, apice recurvi; flores breviter pedicellati, alterni, unilaterales, laxe imbricati, uno in dichotomiis; bracteæ lineari-subulatæ, pedicellis breviores, superiores sæpe nullæ.

Calyx monophyllus, fere usque ad basin quinquepartitus, hispidus, laciniis lineari-subulatis, subæqualibus, tubo corollæ longioribus, aut illius longitudine.

Corolla hypocrateriformis, cærulea, aut raro alba; tubus cylindricus; limbus quinquefidus, latitudine æqualis tubi longitudini, laciniis rotundatis, æqualibus, aut subæqualibus; squamulæ læciniis oppositæ erectiusculæ, pilosæ faucemque tubi claudentes.

Staminum filamenta quinque in summitate tubi corollæ, brevissima. Antheræ squamis tectæ, oblongiusculæ, incumbentes, polline flavo.

Pistilli germina quatuor, glabra: stylus longitudine staminum: stigma bilobum.

Semina quatuor in sinu calycis arcte contenta, ovata, rugosa, hinc convexa, inde planiuscula, basi insculpta, submarginata.

Habitat in arvis, inter segetes, ad vias, et in collibus incultis circa Olisiponem, Conimbricam, et alibi. Floret vere. Biennis, et interdum triennis et ultra.

Planta inodora, sapore herbaceo, et in omnibus partibus mucilaginosa; ejus tamen mucilago radici manifestior inest. Vires ut illæ Boraginis resolventes, attenuantes, refrigerantes. Flores, etsi olim inter quatuor cordiales enumerati, hodie obsoleti, nec immerito, nam inodori, nullamque vim nervinam produnt. Herba tenella primo vere pro olere, uti Boraginea, usitata. Qualitate et viribus Anchusæ *officinali* Linnæi, quæ in Germania et Europa boreali spontanea crescit, persimilis, ab illa etiam non specificè differre diu credita, atque á Botanicis Europæ meridionalis pro vero Buglosso vulgari, seu Anchusa *officinali* vera, habita; demum verò ex Retzii aliorumque neotericorum observationibus pro diversa specie stabilita, quatenus scilicet caule altiori, floribus multo minus imbricatis, calycis laciniis longioribus angustioribusque, corollis cæruleis et patenti limbo, ac præcipue ejusdem squamis in fauce barbatis et erectiusculis, nec leviter tantum tomentosis et quasi cucullatis.

ANCHUSA *undulata*

ANCHUSA *undulata.*

Anch. foliis lanceolatis, undulatis, obtusè subcrenatis, callosè pilosis, superioribus sessilibus; racemis recurvis, brevibus; floribus unilateralibus, arcte imbricatis; bracteis pedicellos superantibus; calycibus fructiferis inflatis.

Lusit. *Buglossa ondeada.*

Anchusa *undulata.* Lin. Sp. pl. ed. Willd. 1. p. 757. La Marck Dict. Bot. Encycl. 1. p. 503. Brot. Fl. Lusit. 1. p. 297. Link Fl. Lusit. 1. p. 177. tab. 22.

Buglossum Lusitanicum Echii folio undulato. Tourn. Inst. R. H. 1. p. 134.

Buglossum Lusitanicum foliis asperis, oblongis, angustioribus et crispis. Id. Ibid. p. 131.

Buglossum marinum elegans. Grisley Virid. Lusit. n. 231.

Caulis sæpe solitarius (interdum nonnulli ad latera capitis radicis crassæ) erectus, decem ad quindecim uncias altus, teretiusculus, pilosus, pilis callo parvo insidentibus, patulisque, foliatus, ramosus; ramis alternis, erectis, omnibus floriferis.

Folia lanceolata, undulata, obtuse subcrenata, et obsolete subsinuata, callose pilosa; radicalia et inferiora caulis in petiolum angustata, obtusiuscula, superiora sessilia, acuta, alterna.

Racemi terminales, breves, apice recurvi. Flores unilaterales, arcte imbricati, breviter pedicellati. Bracteæ ovato-lanceolatæ, pilosæ, sessiles, pedicellis longiores.

Calyx quinquepartitus, laciniis lineari-subulatis, pilosis, corollæ tubo subæqualibus; fructiferus inflatus. Corolla cærulea, aut saturate violacea, quinquefida, infundibuliformis; tubo exserto; squamis faucis breviter floccosis.

Reliqua ut in præcedente.

Habitat in sabulosis maritimis, ad aggeres, vias, et in arvis collibusque circa Olisiponem, trans Tagum, circa *Setubal* et alibi. Floret Februario usque ad Junium. Perennis.

Qualitate et viribus præcedenti similis. Variat foliis plus minusve latis et longis, interdumque margine denticulatis.

UNIVERSIDAD DE GRANADA
Hospital Real
Biblioteca

Tab. 158.



CYNOGLOSSUM *clandestinum*

CYNOGLOSSUM *clandestinum.*

Cyn. foliis viridibus, laxè villosis, subasperis, subtrinerviis, lanceolatis, inferioribus petiolatis, superioribus sessilibus basi rotundatis; corolla calyci subæquali; laciniis obtusis, extrà hirsutis, inapertis, antheras squamasque ipsis breviores subtegentibus; nuculis ovatis, polyglochideis.

Lusit. *Cynoglossa de flor fechada.*

Cyn. *clandestinum*, foliis lanceolatis, villosis; corollis calycem æquantibus, apice tomentoso-pubescentibus. Desfont. Fl. Atlant. tom. 1. p. 159. tab. 42. imperf. Item La Marck Dict. Bot. Encycl. Suppl. tom. 2. p. 433.

Cyn. *officinale*, tanquam ejus varietas. Brot. Fl. Lusit. 1. p. 295.

Cynoglossa altera Lusitana. Grisl. Virid. Lusit. n. 427.

Radix subfusiformis, supernè crassitudine fere digiti minimi, infernè ramosiuscula, extus nigricans, intus albida; inodora, sapore herbaceo, seu fatuo. Biennis, triennis, raro ultra.

Folia erecto-patula, lanceolata, acutiuscula, integerrima, semitrinervi-venosa, utrinque viridia et villosa, villis laxiusculis ex minimis papillis exortis, ideo non mollia, sed scabriuscula; tres ad sex uncias longa, semiunciam ad unciam lata; radicalia et infima caulis sæpe angustiora, in petiolum longum canaliculatum decurrentia; media et superiora sessilia, basi rotundata, costa subdecurrenti, sursum versus, usque racemorum basin, sensim minora.

Caulis solitarius, interdum duo, tres, et ultra, ex collo radicis exorti, subteres, ex costis foliorum subdecurrentibus obsoletè angulosus, laxè villosus, ex papillis villorum subasper, erectus, octo ad tredecim uncias altus, sæpe e medio, rarius infra illud, ramosus; ramis alternis, erecto-patulis, racemis terminatis.

Racemi uncias tres ad quinque longi, rachi recta, apice recurva. Florum pedunculi solitarii, laxi, ebracteati, erecti, secundi, teretes, villosi, octo ad undecim lineas longi. Interdum unus ad rami racemiferi exortum aliis valde longior, sesquiuncialis.

Calyx profunde quinquepartitus, laciniis erectis extrà villosis, lanceolatis, obtusiusculis, tres quatuorve lineas in anthesi longis, fere ses-

quilineam infernè latis, post anthesin maioribus, ovato-lanceolatis, persistentibus, patulis, nec semina occultantibus.

Corolla infera, infundibuliformis, quinquefida, in anthesi plus minusve clausa, calyci subæqualis Laciniæ violaceæ, ovatæ, obtusæ, extrà et ad margines pilis densis albidis hirsutæ, intus glabræ, tubo duplo breviores, ad ejusdem squamas faucis perseveranter incurvæ, nec unquam perfecte apertæ. Tubus omnino glaber, albido violaceus, fauce squamis quinque clausus. Squamæ laciniis corollæ oppositæ, ipsis paulo breviores, extùs dilute intus saturate violaceæ, ad margines villosæ, subovatæ, retusæ, in faucem tubi arcuatæ, cavæ, extra tubum sub laciniis corollæ hiulcæ.

Stam filamenta quinque, in fauce corollæ paulo infra laciniarum fissuras sita, brevissima, vix lineam longa, subulata, glabra. Antheræ oblongiusculæ, basi et apice obtusæ, subovales, biloculares, luteæ, incumbentes, squamarum ferè longitudine, istis arcuatis obtectæ, et in stigma conjunctim conniventes.

Pist. germina quatuor, supera, minima, semiglobosa, lævia. Stylus subquadrangulus, subulatus, exalbidus, glaber, corollæ longitudine, antheris paulo brevior, persistens. Stigma obtusum, subrotundum, obsoletè emarginatum, subviride, marcescens.

Pericarpium nullum.

Semina quatuor, nuculæformia, evalvia, unilocularia, monosperma, ovata, depressa, latere interiore planiuscula, inde receptaculo subquadrangulo ad styli persistentis basin oblique affixa, latere exteriore usque ad margines aculeolis quamplurimis, quorum apices uncinis tribus ad quinque terminantur, echinata.

Habitat ad vias, agrorum limites, et in collibus calcareis basalticisque circa Olisiponem et alibi in Lusitania. Floret Februario, et Martio. Bienne et ultra.

Differt a Cynoglosso *montano* La Marck, et a Cyn. *officinali* Lin., quibus nimis affine, præsertim corolla minori, et ejusdem laciniis inapertis extusque nimis hirsutis.

Vires et usus illis Cynog. *officinalis* similes.

CYNOGLOSSUM *pictum*.

CYNOGLOSSUM *pictum.*

Cyn. foliis lanceolatis, dense villosis, inferioribus petiolatis, superioribus sensim minoribus, subcordatis; corollis calyci subæqualibus, laciniis subrotundo-dilatatis, glabris, apertis, pallide purpureis, ramoso-venosis, venis saturatiùs coloratis.

Lusit. *Cynoglossa de flor lisrada.*

Cynoglossum *pictum.* Lin. Sp. pl. ed. Willd. 1 p. 761. La Marck Dict. Bot. Encycl. Suppl. tom. 2. p. 431. Vahl. Symb. 2. p. 34. Aiton. Kew. 1. p. 179. Brot. Fl. Lusit. 1. p. 196. Link Fl. Lusit. 1. p. 189. tab. 24.

Cynoglossum Creticum. Villars Delph. 2. p. 457. Allion Auct. 4. Clus. Hist. 2. p. 169. Joh. Bauh. Hist. Pl. 3. p. 600. C. Bauh. Pin. 257. Tourn. Inst. R. H. 140.

Caulis teres, pilosus, dense foliosus, erectus, decem ad sexdecim uncias altus, supernè ramosus; ramis alternis, simplicissimis, erectis, floriferis.

Folia lanceolata, acuta, sæpe integerrima, villosa, villis dense appressis, inferiora caulis in petiolum angustata, alterna, approximata, superiora sensim minora, sessilia, basi subcordata.

Racemi terminales, apice breviter recurvati; flores laxi, inferiores distantes, mediocriter pedicellati. Bracteæ nullæ.

Calyx quinquepartitus, laciniis lanceolatis, hirsutis, patulis, corolla paulo brevioribus.

Corolla glabra, infundibuliformis, breviter tubulosa, quinquefida, laciniis late rotundatis, pallide purpureis, ramoso-venosis, venis obscurius coloratis: squamæ faucis breviter pilosæ.

Staminum filamenta quinque, brevissima, squamis in fauce corollæ conniventibus tecta. Germina quatuor hirsuta; stylus longitudine staminum, persistens; stigma emarginatum.

Pericarpium nullum: semina quatuor nuculæformia, ut in præcedente, receptaculo subquadrangulo ad styli basin affixa, extus glochidibus muricatæ.

Habitat in collibus tam cultis quàm incultis circa Olisiponem, Conimbricam et alibi. Floret Martio, Aprili. Sæpe bienne.

Planta nimis affinis Cynoglosso *officinali*, et ipsi qualitate et viribus omnino similis.



J. C. R. Sculp.

RUBIA *Silvestris*

RUBIA *silvestris.*

Rub. foliis perennantibus, senis, quinis, nonnullis quaternis, lanceolatis, vel lanceolato-ellipticis, margine carinaque asperrimis, superiori pagina lucidis, ibique nervo medio lævi aut sublævi; caule frutescente, longo, scandente, prope radicem tereti, inde sursum acute quadrangulo, angulis aculeatis; corollis sæpe quinquepartitis.

Lusit. *Granza brava*, *Ruiva brava*, *ou Raspalingua.*

Rubia silvestris. Brot. Fl. Lusit. 1. p. 153.

Rubia tinctorum silvestris? Lin. Sp. pl. ed. Willd. 1. p. 603.

Rubia silvestris Monspessulana maior? Joh. Bauh. Hist. pl. 3. p. 715.

Radix perennis, teres, primis annis tenuis, seu crassitudine pennæ gallinaceæ, postea sensim crassior, ramosa, longe reptans, geniculata, geniculisque fibrata, flexibilis, cortice succosa et ex viridi flavescens, intus lignosa, luteola seu rufa; sapore subamaro, acriculo, et levissime adstringente.

Caules plures, alii ex capite primordialis radicis, alii ex reptantibus, debiles, scandentes, tres ad octo pedes longi, infernè exalbidi, teretes, nudifolii, supernè virides, quadranguli, angulis acutis retrorsum aculeatis, nodosi, é nodis foliosi et ramosi; ramis patentibus, sæpe oppositis, nonnullis alternis solitariis, raro tribus et ultra subverticillatis.

Folia verticillata, in geniculis inferioribus sena, quina, perpauca septena, in superioribus nonnulla quaterna, sessilia, dura, rigida, lanceolata, ovalia, seu lanceolato-elliptica, apice mucrone minimo terminata, margine leviter revoluta, ibique et carina aculeolis recurvis scabrata, pagina superiori saturate viridia, lucida, sæpeque omnino lævia, nonnulla tamen ibique in nervo intermedio interdum uno aliove aculeolo minimo et fere obsoleto instructa; omnia plus ultra unum annum viva persistunt; quæ maiora sesquiunciam ad uncias duas longa sunt, et tres ad quinque lineas in medio lata; superiora caulis et ramorum sensim minora.

Flores paniculati; paniculæ axillares et terminales, breves, sæpe trichotomæ; pedunculis quadrangulis, lævibus. Folia floralia aliis foliis forma similia, sed valde minora, et utrinque lævia; inferiora quaterna seu terna, superiora bina opposita.

Calyx vix ullus, seu margo minima obsoletè quinquedentata. Corolla parva, flava, monopetala, absque tubo, subrotata, quinquepartita, laciniis patentibus, ovato-lanceolatis, apice unguiculatis.

Staminum filamenta quinque subulata, pallida, corollæ inserta, illaque breviora: antheræ simplices, flavæ. Pistilli germen inferum, sæpe didymum, subturbinatum; stylus longitudine staminum, supernè bifidus. Stigmata subcapitata.

Baccæ duæ, in formam obovato-subrotundam coalitæ, glabræ, nitidæ, nigræ, succo rubro farctæ: semina in utraque solitaria, subrotunda, umbilicata, quorum unum sæpe abortat, aut interdum ambo.

Habitat in collibus incultis, dumetis, atque ad sepes in tota fere Lusitania. Floret Maio, Junio, Julio. Frutex.

Nonnulli flores variant corollæ laciniis quatuor totidemque staminibus. Radicis qualitas, vires medicæ, et efficacia, ossa, lanas liquidaque tingendi, illis radicis Rubiæ *tinctorum sativæ* similes, etsi aliquantulum debiliores: baccæ ad vina coloranda usitata.

Planta nimis affinis Rubiæ *tinctorum sativæ* necnon Rubiæ *fruticosæ*, *peregrinæ*, *angustifoliæ* et *lucidæ*; recedit tamen a Rub. *tinct. sativa* caule annuatim non arescente, sed multos per annos virescente et in eis foliifero, florifero; foliis perennantibus, minoribus, plus rigidis, saturate viridibus, lucidioribus, et nervo medio paginæ superioris interdum non omnino lævi: discrepat a *fruticosa* caule debiliori et floribus paniculatis: á *peregrina* foliis non linearibus, plurimis non quaternis, sed quinis senisve, et caule debiliori: ab *angustifolia* foliis non anguste linearibus, nonnullis senis, nec valde scabris ullis in medio nervo paginæ superioris et ejus lateribus: differt tandem a *lucida* caule non lævi, et foliis carinâ scabris. Attamen hæ differentiæ non tam firmæ quàm existimantur; sunt enim plus minusve variabiles, sive culturâ, sive mutato solo, situ et climate, ideoque omnes istæ plantæ Rubiæ *silvestris* potius varietates, quàm veræ species ab illa satis distinctæ esse videntur.

ACARNA *gummifera*

ACARNA *gummifera.*

Ac. foliis oblongis, pinnatifido-sinuatis, laciniis inæqualibus, dentato-spinosis; capitulo sæpe solitario, scapum brevem subterraneum terminante; foliolis calycis externi laxis, ferè oblanceolatis, margine spinosissimis, apice tricuspidatis, interni supremis apice longe acuminatis, ibique setaceis, coloratis, flosculorum longitudine.

Lusit. *Cardo do visco*, *Carlina gommosa*, *Cardo pinto gommoso*, *ou branco* (ex Laguna), *Cardo matacão* (ex Grisley).

Acarna *gummifera.* Lin. Sp. pl. ed. Willd. 3. p. 1699.

Cirsellium *gummiferum.* Brot. Fl. Lusit. 1. p. 346.

Atractylis *gummifera.* Lin. Sp. pl. 1161. Miller Dict. n. 3. Desfont. Fl. Atlant. 2. p. 252. Cavan. Icon. 3. p. 14. tab. 228.

Carthamus *gummiferus.* La Marck Dict. Bot. Encycl. 1. p. 639.

Carlina acaulos gummifera. C. Bauh. Pin. 380. Shaw Afr. p. 114. Morandi Hist. Bot. p. 147. tab. 67,

Cnicus Carlinæ folio acaulos gummifer aculeatus. Tourn. Coroll. 33.

Chamæleon albus Dioscoridis. Fab. Columm. Ecphr. 1. p. 1. tab. 12. Laguna in Diosc. lib. 3. p. 269. Grisley Virid. Lusit. n. 321. Joh. Bauh. 3. p. 67.

Carduus pinea Theophrasti. Alpin. Exot. 126. tab. 124-25.

Radix profunde penetrans, perennis, primis annis supernè pollicem crassa, annosa vero, præsertim in solo pingui, brachii et demum fere femoris crassitudine, sesquipedem ad tres pedes longa, infernè ramosa, extus é viridi rufescens, intus alba, lactescens, succo in grumulos ob viscositatem concrescente, non injucundè odora, sapore subdulci.

Folia omnia in orbem procumbentia, octo ad quindecim uncias longa, tres quatuorve lata, pinnatifido-sinuata, laciniis subundulatis inæqualibus, inæqualiterque dentatis, dentibus spinosis, rigida, supra viridia, tomentosa, subtus hirsuta, albicantia; petioli canaliculati, diu persistentes.

Scapus primis annis, radice adhuc parum crassa, solitarius, brevissimus; illa vero annosa et valde crassa, duo ad quinque, subteretes, leviter angulosi, nonnullis squamis oblongis, inermibus, alternis, distantibus, instructi, tres ad quinque uncias longi, omnes subterranei, apice extra terram floriferi.

Flores capitati; capitula sesquiunciam ad uncias duas cum dimidia lata, unam ad fere duas alta, bracteis obvallata imbricatis, oblongis, squamiformibus, acutiusculis, nervosis, aliis margine spinosis, inermibus aliis.

Calyx duplex; exterioris foliola laxa, rigida, tomentosa, sesquipollicaria, bipollicariave, fere oblanceolata, apice tricuspidata, recurva, marginibus spinosissima, spinis palmatis; calyx interior cylindricus, illius squamæ sursum sensim longiores, imbricatæ, lineari-subulatæ, rigidulæ, marginibus inermes, extus incano-lanatæ, intus glabræ, inferiores seta rigida pungenti terminatæ, superiores et intimi ordinis angustiores, longius acuminatæ, apice extus et intus purpureo-coloratæ, atque in setam mollem, recurvam, disci flosculis æqualem aut vix paulo longiorem, abeuntes.

Corollulæ omnes infundibuliformes, hermaphroditæ, violaceæ, aut purpureæ, tubo tenui, longo, limbo quinquefido, laciniis æqualibus, erecto-patulis.

Staminum filamenta quinque, brevissima, collo corollulæ inserta. Antheræ in cylindrum tubulatum, dilute violaceum, coalitæ, corollulæ laciniis breviores aut æquales, infernè quinquecaudatæ: grana pollinis pellucida, stigmatis villis glomeratim applicata.

Pistilli germen breve, obsolete angulosum, sericeo-viride, apice pilis rigidulis coronatum, et quasi calyculatum. Stylus antheris brevior. Stigma violaceum, non articulatum, oblongum, teres, rigidum, subvillosum, apice bifidum inapertum, exertum, corollulæ laciniis sæpe paulo longius.

Semina solitaria, oblonga, obsolete tetragona, villis sericeo-viridibus tecta, eisdemque supra verticem productis coronata; omnia sæpius ab insectis infestata et sterilia reddita. Pappus sessilis, per maturitatem deciduus, multiradiatus; radiis basi subpaleæformibus, ibique cohærentibus, seminis coronâ pilosâ obvallatis, ramosis; ramulis capillaribus, plumosis, candidis, et flosculorum longitudine. Receptaculum planum, leviter alveolatum, carnosum, paleaceum; paleis longitudine fere calycis interni, latis, albis, lucidis, hinc concavis, inde carinatis, rigidis, valde approximatis, supernè setaceo-multifidis; his immixtæ sunt aliæ nimis angustæ et quasi setiformes, necnon et alteræ capillares longæ, quæ latiorum palearum nervi laterales, ab eis separati, esse videntur.

Habitat in locis incultis soli ardenti expositis, præsertim in collibus

calcareis circa Conimbricam, Olisiponem, et alibi in Beira, Extremadura, Transtaganâ et Algarbiis. Floret æstate, et autumno foliis jam exsiccatis, quæ hyeme renascuntur, et usque ad Julium virent. Perennis.

Hæc species Carlinis valde affinis; sed ab eis præsertim differt calycis squamis intimis flosculorum longitudine, aut vix paulo longioribus, et flosculorum receptaculo nullis setis clavatis instructo. Male igitur a nonnullis autoribus cum Carlina *acauli* confusa est, quæ nuspiam in Lusitania occurrit, et abunde diversa.

Ex collo radicis, foliis et flosculorum receptaculo effluit gummi quoddam sui generis, insipidum, pallide flavum, quod ipsis adhæret: illud aucuparii colligunt, cum pice miscent, et viscum ad aves capiendas parant. Radix tenera, uti etiam flosculorum receptaculum, aqua ebulliente cocta, edulis: ejus usus medicus, de quo Dioscorides, exoletus.

BALSAMITA *annua.*

B. foliis pubescentibus, radicalibus nonnullisque infimis bipinnatis, caulinis confertis, pinnatis, quinquefidis aliis, trifidisve; pinnulis et laciniis linearibus, acutis; ramis supremis caule longioribus; floribus terminalibus, arcte corymbosis.

Lusit. *Joina das searas*, *Macella ſedegosa*, *Macella gallega miuda.*

Balsamita *annua.* Decand. Flor. Franç. vol. 4. pag. 187.

Tanacetum *annuum.* Lin. Sp. pl. ed. Willd. vol. 3. p. 1812. La Marck Dict. Bot. Encycl. tom. 7. p. 573. Gouan Illust. 66. Royen Lugdb. 155. Vaill. Act. 1716. p. 281. Brot. Fl. Lusit 1. p. 354.

Heliochrysum foliis abrotani. C. Bauh. Pin. 264. Heliochryson quorundam folio abrotani. Joh. Bauh. Hist. pl. 3. p. 150. cum Icon. Pluken Phyt. 160. f. 1. Elichryson Dodon. Pempt. p. 267. Icon. Elichryson Clus Hist. 1. p. 325. tab. 326. Heliochrysum Clusii Grisley Virid. Lusit. n. 709. Eliochryson Laguna in Dioscor. lib. 4. cap. 58.

Santolina corymbis simplicibus, foliis linearibus, confertis. Miller. Icon. p. 152. tab. 227. fig. 1.

Absinthium Corymbiferum annuum.
Tourn. Inst. R. H. 458.

Radix supernè pennæ anserinæ aut fere digiti minimi crassitudine, ibique lignosa, valde fibrata.

Caulis solitarius, erectus, pedalis ad bipedalis, teres, striatus, leviter hirsutus, foliosus, valde ramosus; ramis alternis, erecto-patulis, supremis caule ejusque corymbo longioribus.

Folia omnia pubescentia; radicalia, et infima nonnulla caulis, bipinnata, caulina et ramea alterna, approximata, conferta, pinnata, aliqua quinquefida vel trifida, basi stipulata; pinnulæ et laciniæ lineares, acutæ, breves, angustæ, excavato-punctatæ.

Flores caulem et ramos terminant, dense corymbosi; corymbo caulino maiori, ramosiori, floribus triginta ad quadraginta composito.

Calyx communis hemisphæricus; squamæ adpressæ, imbricatæ, inte-

Tab. 162.

BALSAMITA *annua.*

riores longiores, intus concavæ, nervo dorsali virentes, apice dilatatæ, obtusæ, luteæ, radium brevem corollularem mentientes.

Corollulæ tam radii quàm disci omnes hermaphroditæ, uniformes, tubulosæ, quinquedentatæ, luteæ, calyci subæquales aut illius longitudine. Stamina quinque: antheræ luteæ, in cylindrum coalitæ, corollulâ breviores. Pistilli germen parvum, oblongiusculum, striatum, membranulâ minimâ coronatum: stylus antherarum longitudine: stigmata duo tenuissima, exerta, demum corollula paulo longiora.

Semina plurima, oblonga, ad apicem paulo latiora, præsertim illa radii; omnia glabra, striata, margine brevissimo membranaceo denticulato coronata. Pappus nullus. Receptaculum convexo-subconicum, nudum, excavato-punctatum.

Habitat in solo raro et inter segetes ex *Alcobaça* usque ad Olisiponem, et alibi in Extremadura. Floret æstate, et nonnumquam in autumno, foliis jam exsiccatis. Annua.

Planta graveolens et amara. Eliochrysi Dioscoridis aliorumque Veterum medicas vires ei nonnulli Recentiores adscribuerunt, nunc tamen penitus exoleta, nec in pagis, ut olim, pro Anacyclo *aureo* Lusitanis usitata.

Obs. Ob calycis foliola intima colorata, radii fæmineas corollulas ligulatas effingentia, Tenacetis immista esse solet, sed falso, namque ab eis re vera differt flosculis omnibus hermaphroditis. Ab Athanasiis, quibus affinis, etiam diversa receptaculo nudo, nec paleaceo. Ad eam Tanacetum *pilosum* (Berg. Plant Cap., et La Marck Encycl. Meth.) specificè nimis accedit, et vix diversum; synonyma saltem, Capensi ibidem applicata, ad hanc nostram amandanda.

ANACYCLUS *aureus.*

An. caulibus erectiusculis, villosis, ramosis; foliis pubescentibus, bipinnatis, extremis pinnatis; foliolis brevibus, subsetaceis, excavato punctatis, mucronatis; pedunculo terminali, longo, nudifolio, unifloro; disco flosculorum valde elato, semiovali.

Lusit. *Macella gallega vulgar.*

Anacyclus *aureus.* Lin. Sp. pl. ed. Willd. tom. 3. p. 2173. La Marck Dict. Bot. Encycl. tom. 1. p. 141. Brot. Fl. Lusit. 1. p. 363.

Chamæmelum luteum, capite aphyllo. C. Bauh. Pin. 135. Tourn. 494.

Chamæmelum aureum peregrinum, capite sine foliis. I. Bauh. Hist. pl. 3. p. 119.

Chamæmelum capite nudo vulgare. Grisley Virid. Lusit. n. 322.

Anthemis Chrysanthemum herbariorum. Lob. Icon. 771.

Radix dura, fibrata, crassitudine pennæ gallinaceæ, aut paulo ultra. Caules nonnulli ex capite radicis, graciles, substriati, exalbido-pubescentes, supernè subvirentes, omnes foliosi, sæpe plus minusve ex declinatis erecti, tres ad sex uncias longi, interdum tamen, præsertim in subhumidis, aliquantum longiores, infernè ramosi aut subramosi, ramis alternis, erectiusculis.

Folia alterna, pubescentia, villis decumbentibus, radicalia et infima caulis bipinnata, suprema pinnata; foliolis virescentibus, brevissimis, terectiusculis, subsetaceis, excavato-punctatis, mucronatis, infimis petioli communis stipularibus.

Pedunculi terminales, solitarii, setacei, substriati, subpubescentes, aphylli, erecti, sesquiunciam ad tres fere uncias longi, uniflori. Flos discoideus; disco valde convexo, demum semiovali.

Calyx hemisphæricus; squamæ imbricatæ, exteriores paucæ acutiusculæ breviores, aliæ oblongæ, obtusæ, omnes tomentosæ, marginibus et apice scariosæ, planiusculæ, nervo dorsali subviridi, aut interdum lutescente.

Corollulæ hermaphroditæ, numerosæ in disco, omnes luteæ, infundibuliformes; tubo compressiusculo; limbo quinquefido, paleis rece-

Tab. 163

ANACYCLUS *aureus*.



ptaculi paulo longiore. Fæmineæ paucæ in ambitu, squamis calycis et receptaculi paleis paulo breviores; tubo, seu potius ungue, compresso, complanato, late marginato, exalbido, incurvo, apice introrsum ab exeuntibus stigmatibus brevissime fisso; limbo ligulato, seu potius proprie tali nullo.

Stamina in hermaphroditis quinque; antheræ luteæ, in cylindricum coalitæ, sæpe inclusæ: in fæmineis stamina penitus nulla.

Pistilli germen inferum; in hermaphroditis breve, fere obovatum, virescens, glabrum, compressiusculum; stylus brevissimus; stigmata duo crassiuscula tarde exerta. Fæmineis germen simile, sed minus; stylus longus; stigmata duo, crassa, lutea, ocissimè exerta.

Semina plurima, paleis receptaculi breviora, glabra, striata, subangulata, sed non alata, quasi obovata, apice obtusa, nuda; nonnulla abortiunt. Omnibus pappus nullus. Receptaculum alte et acute conicum, punctatum, paleaceum: paleæ oblongæ, concavæ, lateribus et apice scariosæ, obtusæ cum acumine, vel inordinate subdentatæ, sensim versus receptaculi apicem breviores

Habitat sæpe in locis subhumidis, ad rivulorum, agrorumque margines in omnibus fere Lusitaniæ provinciis. Floret Maio usque ad Augustum. Annuus aut biennis.

Planta graveolens, amara et apud Lusitanos frequentiùs, quàm Anthemides, quibus vi medicâ similis, usitata. Nimis affinis Anacyclo *Cretico*, sed foliis villoso-virescentibus, nec valde incanis, eorum laciniis, seu foliolis, teretiusculis, nec planis, et aliis nonnullis notis diversa. Nec confundenda cum Cotula *aurea* et Santolina *anthemoide*, quibus habitu similis esse videtur; a prima enim receptaculo flosculorum paleaceo, á secunda verò flosculis fæmineis satis differt.

INULA *viscosa.*

In. foliis lanceolatis, serratis, utrinque piloso-viscidis, basi reflexis, semiamplexicaulibus; caule ramisque foliosis, supernè racemiferis; pedunculis axillaribus terminalibusque simplicibus, fere omnibus unifloris, paucis bifloris.

Lusit. *Tagueda de Dioscorides.*

Inula *viscosa.* Lin. Sp. pl. ed. Willd. tom. 3. p. 2095. Desfont. Fl. Atlant. 2. p. 274. Ait. Kew. 3. p. 223. Decand. Synops. Pl. Gall. p. 281. et Fl. Franç. vol. 4. p. 153.

Erigeron *viscosum.* Lin. Sp. pl. vol. 2. p. 1209. La Marck Dict. Bot. Encycl. tom. 8. p. 479. Gouan Illustr. 67. Miller Dict. n. 1. Jacq. Hort. tab. 165.

Solidago *viscosa.* Brot. Fl. Lusit. 11. p. 381. La Marck Fl. Franç. vol. 2. p. 144.

Virga aurea maior, foliis glutinosis graveolentibus. Tourn. Inst. R. H. p. 580.

Conyza mas Thophrasti, maior Dioscoridis. C. Bauh. Pin. 265. Conyza maior Monspeliensis odorata. Joh. Bauh. Hist. Pl. 2. p. 1055. *Icon mala.* Conyza maior vera Dioscoridis. Grisley Virid. Lusit. n. 390. Conyza maior Dodon. Pempl. 51. Clus. Hist. 2. p. 20. Conyza capitata seu globosa. Bocc. Sic. 14. tab. 7. Moris. Oxon. Hist. 3. p. 114. §. 7. tab. 20. fig. 14.

Radix crassa, lignosa, ramosa, quotannis novos pluresque caules proferens. Caules erecti, stricti, pedales ad bipedales et ultra, teretes, substriati, piloso-viscidi, foliosi, infernè per aliquot annos sæpe persistentes, et quasi suffruticosi, valde ramosi; ramis alternis, approximatis, longis, erectiusculis, foliosis, ex foliorum axillis, supernè et interdum ex medio ad apicem, floriferis.

Folia caulina et ramea alterna, approximata, é viridi pallescentia, lanceolata, serrata, acutiuscula, venosa, subrugosa, sessilia, semiamplexicaulia, lateribus basilaribus reflexa, utrinque piloso-viscida, pilis lente visis articulatis basique glandulosis; inferiora tres uncias et ultra longa, unciam ferè lata, versus apicem caulis et ramorum sensim minora, suprema nonnulla interdum obsoletè serrulata, aut integerrima.

Tab. 164.

INULA *Viscosa*

Flores racemosi; racemi caulem et ramos terminant: pedunculi alii terminales, axillares alii, alterni, parùm distantes, solitarii, filiformes, breves, subvillosi, striati, in longitudinem aphylli, aut uno aliove brevissimo foliolo instructi, simplices, uniflori, pauci biflori, vix ulli nonnunquam triflori.

Calyx glabriusculus, cylindraceus, squameus; squamis imbricatis, subvirentibus, rectis, linearibus, angustis, acuminatis, inæqualibus, gradatim longioribus, internis laxiusculis, omnibus in plena seminum maturitate reflexis.

Corolla composita radiata, lutea: corollulæ hermaphroditæ plurimæ in disco, infundibuliformes, quinquedentatæ; fæmineæ in radio septem ad decem, ligulatæ, lineares, sesquilineam ferè latæ, longæ, apice tridentatæ, patentissimæ.

Staminum filamenta in hermaphroditis quinque, capillaria, brevissima: antheræ quinque, luteæ, in cylindrum tubulosum coalitæ, singulæ basi desinentes in setas duas filamentis breviores, supernè semiexertæ. Fæmineis stamina penitus nulla.

Pistilli germen in hermaphroditis subteres, subpubescens; stylus unus; stigmata duo, exerta In fæmineis germen simile, stylus unus longus; stigmata duo revoluta.

Semina plurima, oblongiuscula, subteretia, scabra, subpubescentia. Pappus sessilis, longus, subrufescens, capillaris; pilis lente visis denticulato-ciliatis, seu subserratis. Receptaculum planum, glabrum, excavato-punctatum.

Habitat in solo sicco, ad radices collium, et aggeres circa Olisiponem, Conimbricam et alibi in Extremadura et Beira. Floret æstate et autumno. Perennis et quasi suffrutex.

Planta amariuscula, acris, graveolens. Pro Conyza maiori Dioscoridis a nonnullis Botanicis habita, ei viribus similis credita, et olim pro tali usitata; nunc tamen exoleta Nimis affinis speciebus Solidaginis et Erigerontis; sed antheris in setas decem infernè desinentibus ab illis differt, atque Inulis magis affinis; quapropter istis potius quam illis associari debet.

PENTANTHERIA DISTYLIA.

CUSCUTA *Europœa barbuvea.*

Cusc. caulibus tenuissimis, setiformibus, glabris, ramosissimis, supra racemos viteos innatis incretis, indeque longissimè pendulis; glomerulis florum sessilibus, perpaucis, uno aliove tantùm ad ramorum alas superiores.

Lusit. *Barba das uvas, ou Fiadeira das barbas dos cachos.*

Cuscuta. C. Bauh. Pin. 219. Cassuva, sive Cuscuta. Joh. Baub. Hist. Pl. 3. p. 266. (ut varietas.)

Cuscuta *Europœa* (ut varietas) Lin. Sp. pl. ed. Willd. tom. 1. p. 702. La Marck Dict. Bot. Encycl. 2. p. 229.

Caulis e radice seminis, quod vere novo intra racemum viteum germinare fortè contigerat, tenuissimus, setiformis, virescens, glaberrimus, primùm hinc inde parce ramosus, sese racemi pedunculis circumvolvens, adhærens, radiculis papillaribus exugens, et quamplurimos illius flores omnino steriles reddens; sub racemo postea ramosissimus, duos ad tres pedes longus, ramis distantibus, sæpe dichotomis, inter sese late implicatis, omnibus pendulis, et sic tandem racemo maturo latam longissimamque barbam effingentibus.

Folia nulla, sed sub singulo ramo squama ovalis, membranacea, plus minusve sesquilineam longa.

Flores conglomerati; gloumeruli sessiles, pauci, duo tresve in alis superioribus aliquorum ramorum; nulli verò in omnibus inferioribus axillis. Sub quolibet glomerulo bractea solitaria, squamis ramorum axillaribus similis.

Calyx rubellus, cyathiformis, quinquefidus, in perpaucis floribus quadrifidus, laciniis obtusiusculis, ad basin carnosis.

Corolla monopetala, albida, quinquefida, in paucis floribus quadrifida, laciniis acutiusculis, calyce paulo longioribus.

Stamina quinque, in perpaucis floribus quatuor, corollâ breviora; ad eorum basin squamulæ totidem nectariferæ, corollæ basi adnatæ, lineares, bifidæ.



I. C. R. Sculp.

CUSCUTA. *Europæa barbuwea*

Pistilli germen subrotundum. Styli duo breves. Stigmata simplicia.

Capsula parva, globosiuscula, calyci ad dimidium ferè immersa, infra medium circumscissa, bilocularis, loculis dispermis. Semina subglobosa, dissepimento prope basin affixa; illorum albumen centrale, carnosum; plantula seminalis tenuissime filiformis, spiralis, circa albumen convoluta, ex Linnæo acotyledonea, at ex Adansonio et Gaertnero monocotyledonea, qualis etiam nobis esse videtur.

Innasci et succrescere solet nonnunquam in racemis Vitis *viniferæ*, in *Carnachide, Sete-Rios,* et alibi circa Olisiponem. Floret æstate. Annua.

Varietas Cuscutæ vulgaris Europeæ est, quæ rarissime ac tantùm in aliquo racemo altiori Vitis *viniferæ* alte cantheriatæ, non verò in aliis racemis, nec alibi in ejusdem ramorum aut caulis cortice occurrit. Nonnulli agricolæ eam ex seminibus maturis Cuscutæ *vulgaris*, quæ in plantis vicinis increverat, a vento adductis vel ab avibus pulveratricibus supra racemos altiores in anthesi excussis, exortam esse credunt, nec ejus radicem ibi post germinationem tunc arescere, ut in terra solet, sed vigescere et ramusculos ferre autumant. Inodora planta est, acriuscula, sed nil amara, nec adstringens, fortasse racemi causa, cui adhæret; vis itaque ipsius debilior, quam illa Cuscutæ *vulgaris*, quæ etsi apud veteres nimis usitata, nostro tamen tempore exoleta et superflua.

ERYNGIUM *amethystinum dilatatum.*

Er. foliis spinosis; radicalibus longioribus, infernè subpinnatis angustioribus, apice dilatatis, inæqualiterque laciniatis; caulinis pinnatifidis, sensim brevioribus; involucello hexa-decaphyllo, foliolis sublinearibus, margine et apice spinosis, capitulo parum longioribus, basi setis obvallatis; receptaculi paleis simplicibus, calycem æquantibus, aut vix longioribus.

Eryngium *dilatatum.* Brot. Fl. Lusit. 1. p. 415. La Roche Hist. Eryng. tab. 4. La Marck Dict. Bot. Encycl. tom. 4. p. 755. Poiret ejusd. Suppl. tom. 4. p 288, *uti varietas* (b) *sequentis.*

Eryngium *amethystinum.* Lin. Sp. pl. ed. Willd. tom. 1. p. 1359. (b) Eryngium minus trifidum Hispanicum. Barrel. Icon. 36. Bocc. Mus. tab. 71.

Eryngium amethystinum Lusitanicum minus, longiori folio.
Tourn. Inst. R. H. p. 327.

Eryngium minus montanum, flore cæruleo pulchro.
Grisley Virid. Lusit. n. 478.

Radix extus fusca, ad collum crassitudine fere digiti minimi, ibique squamis imbricatis cincta, infernè subramosa, perennis.

Caulis solitarius, aut duo, tres ex eadem radice, teres, striatus, glaber et cæruleus, ut tota planta, erectus, quinque ad tredecim uncias altus, foliatus, supernè subramosus, ramis alternis, brevibus, aliis unifloris indivisis, aliis vix divisis bifloris triflorisve, supremis sæpe tribus quatuorve subverticillatis, umbellam formantibus.

Folia omnia spinosa; radicalia in orbem posita, sæpe tres uncias longa, petiolo prælongo supputato, infernè subpinnata, supernè valde dilatata, ibique laciniata, laciniis rigidis, subcuneatis, inæqualibus, inæqualiterque dentatis, dentibus spinosis; caulina alterna, pinnatifida, valde minora, sensim versus apicem caulis decrescentia, sub ramis tripartita, sicut sub umbella, ubi opposita vel subverticillata sunt. Petiolus in utrisque sublinearis, planus, infernè usque ad basin setis rigidis pungentibus ciliatus.

Umbella caulem terminat: radii sæpe tres, quatuorve, teretes, striati, patuli, triflori, aut biflori. Flores capitati: capitulum latum, convexum, seu hemisphæricum, cæruleum. Involucellum polyphyllum,

Tab. 166

J. C. R. sculp.

ERYNGIUM *amethystinum dilatatum.*

foliolis patulis, sex ad decem, lineari-lanceolatis, margine et apice trifurco-spinosis, capitulo aliquantum longioribus; ad eorum basin setæ nonnullæ, rigidæ, pungentes, reflexiusculæ, interjectæ sunt.

Calyx superus, quinquedentatus; dentibus cæruleis, subulatis, mucrone setiformi, spinuloso, terminatis, erectis, corolla longioribus. Corolla pentapetala; petalis cærulescentibus, profunde emarginatis, apice valde inflexo. Stamina totidem, filamentis exertis; antheræ oblongæ, biloculares. Pistilli germen obovatum, striatum: styli duo capillares, longitudine staminum: stigmata simplicia.

Fructus calyce coronatus, bipartibilis: semina duo obovata, hinc plana, inde convexula, striata, exasperata, quorum unum apice tridentatum, bidentatum aliud, utrunque marginibus subciliatum. Receptaculum subconicum, paleaceum; paleæ sublanceolatæ, canaliculatæ, marginibus integerrimæ, apice simplices, mucronatæ, pungentes, calyci æquales aut vix longiores.

Habitat in collibus calcareis circa Olisiponem, Conimbricam, et alibi in Beira et Extremadura. Floret æstate. Perenne. Planta nimis affinis Eryngio *amethystino*, et potius illius varietas, quàm distincta species esse videtur.

Usus ignotus.

SELINUM *peucedanoides.*

Sel. caule tereti, striato; involucro universali reflexo; umbellæ radiis glabris, seminibus ovali-subrotundis, dorso quadrisulcis et obtuse quinquecostatis; foliis radicalibus bipinnatis, superioribus pinnatis; foliolis omnium oblongis, angustissimis, sublinearibus, integerrimis, acutis.

Lusit. *Bruco.*

Laserpitium *peucedanoides.* Brot. Flor. Lusit. 1. p. 428.

Radix perennis, ramosa, ad collum crassitudine digiti minimi, extus fusca, amarula, acris, sublactescens, sicut etiam caules, et foliorum petioli.

Caules annui, sæpius plures ex eadem radice, erecti, sesquipedales, bipedales et ultra, teretes, leviter angulati, subsulcati, glabri ut tota planta, ferè dichotomi; rami alterni, pauci, distantes, erecti, striati, simplices, inferiores vix subdivisi, et sæpe altiores.

Folia viridia, petiolata; radicalia bipinnata, pinnis oppositis, infimis longiùs petiolatis, sicque circumscriptione triangularia; caulina alterna, pinnata, suprema ternata simpliciave; folioli oppositi, sessiles, ultimi laterales brevissimè confluentes, omnes sublineares, seu lineari-lanceolati, acutiusculi, integerrimi, venosi, utrinque glabri, oblongi, angusti, lineam ad lineas duas in medio lati, unciam ad uncias duas et ultra longi. Petiolus communis subteres, striatus, suprà leviter canaliculatus, basi latè membranaceus, vaginans; in foliis radicalibus longior, in caulinis sensim proportionaliter brevior.

Umbellæ caulem et ramos terminantes. Involucrum universale polyphyllum, foliolis quatuor ad septem, sublinearibus, subæqualibus, acuminatis, virescentibus, glabris, umbellâ valde brevioribus, reflexis, sæpe caducis: partiale etiam polyphyllum, foliolis angustioribus, plus numerosis, forma similibus, inæqualibus, longioribus, umbellulam æquantibus, reflexis.

Umbella universalis plana, aut interdum subconvexa, radiis septem ad tredecim, inæqualibus, laxis, striatis, glabris; partiales planiusculæ, radiis tredecim ad viginti et ultra, inæqualibus, longioribus tres lineas fere longis. Flosculi centrales plurimi abortivi.

Calyx obsoletus. Corolla pentapetala; petalis minimis, æqualibus, inflexo-emarginatis, intus albis, extus ante explicationem purpurascentibus.



SELINUM *peucedanoides*



Staminum filamenta quinque, patentia, petalis longiora: antheræ subrotundæ, luteæ demum exalbidæ. Pistilli germen inferum, obovatum, striatum; styli duo brevissimi, patuli; stigmata obtusa.

Fructus bipartibilis, glaber. Semina duo, compressa, hinc plana, inde convexula, ovali-subrotunda, apice integro stylis persistentibus coronata, marginibus alato-membranacea, dorso quinquecostata; costis omnibus obtusis, tribus interioribus plus elevatis, inter costas quadrisulcata; hi sulci immaturis in seminibus, lente visi, interdum brevissime alati sunt, sed alæ demum in eorum plena maturitate omnino disparent; ideo a Laserpitiis separandum.

Habitat in dumetis uliginosis, ad rivulos, pratorum margines, et in aliis locis humidis, tam in Beira quàm in Extremadura et Transtagana. Floret æstate et autumno. Perennis.

Planta acris, subamara; pecori tamen non ingrata esse fertur. In Extremadura ejus foliorum siccorum infusum aquosum, instar Theæ, in renum affectionibus calculosis et aliis, interdum efficaciter adhiberi solet. In Beira radix á rusticis pro masticatorio, loco Pyrethri, ad salivam ciendam doloresque dentium exinde sedandos, pari efficacia usitata.

DAUCUS *halophilus.*

D. caule striato, hispido, pilis retroversis; foliis radicalibus et infimis bipinnatis, foliolis ovatis, villosis, inciso-dentatis, dentibus obtusis; involucri foliolis pinnatis, involucellorum externis tridentatis, internis indivisis; umbella densa, subradiata, alba, flosculo centrali atrorubente; seminum aculeis apice radiatim glochidiferis.

Radix alba, dura teres, supernè ad collum fere digiti minimi crassitudine, infernè interdum subramosa: sapore et odore ut illa Dauci *Carotæ silvestris.*

Caulis sæpe solitarius, raro duo, tresve ex eadem radice, pedalis aut sesquipedalis, teres, striatus, hirtus, pilis numerosis retroversis, erectus, subtortuosus, paucirameus.

Folia omnia petiolata, circumscriptione triangularia; radicalia et infima bipinnata, pinnis primariis oppositis, superiora pinnata, subpinnatave; foliolis pubescentibus, viridibus, ovatis, obtusis, inciso-dentatis, dentibus, seu lobulis, obtusis, æqualibus, aut subæqualibus: petioli striati, hirsuti, subtus convexi, basi suprà concavi, membranacei, subvaginantes.

Umbellæ terminales, pedunculatæ: universalis duas ad tres fere uncias lata, densissima; radiis striatis, hispidulis, in ambitu sesquiuncialibus et ultra, in disco valde brevioribus; dum floret planiuscula, seu subconvexa, fructifera coarctata, concava. Umbellæ partiales numerosæ, etiam densæ, radiis duodecim et ultra. Involucrum universale umbellâ brevius, polyphyllum, basi tamen monophyllum, ibi enim cum receptaculo unitur; foliolis septem ad novem, pubescentibus, pinnatis, pinnulis brevibus, quinque seu septem, oppositis cum impare, subdecurrentibus, linearibus, acutis, integerrimis, subæqualibus. Involucella etiam polyphylla; foliolis septem octove, quorum tres exteriores in umbellulis radii apice tridentati, illas æquantes aut paulo longiores, alii omnes indivisi, breviores, lineares, acuti; in umbellulis autem disci ferè omnes simplices, vix aliquis externus tridentatus.

Flores fere omnes hermaphroditi, pauci ex interioribus masculi abortivi. Calyx obsoletus Corolla universalis subradiata; propria parva, pentapetala, petalis albis, inflexo-cordatis, exterioribus maioribus. In centro receptaculi umbellæ exoritur flosculus, petalis quinque atropurpureis æqualibus instructus, sæpe masculus et pedicello proprio, ad medium foliolis quinque æqualibus involuto, innixus.

DAUCUS *halophilus*

Staminum filamenta quinque, patentia, corolla vix longiora: antheræ parvæ, albæ, biloculares. Pistilli germen inferum, obovatum, hirtum, viride, aut interdum violaceum: styli duo brevissimi, erecti: stigmata obtusiuscula.

Fructus subovalis, bipartibilis. Semina duo, parva, hinc plana, inde convexa quadrialata, trisulcata; alis duabus dorsalibus, duabus marginalibus, submembranaceis, dentatis, denticulis acuminatis, rigidulis, quasi aculeis, apice (lente visis) in glochides, seu uncinos breves tenuissimos, quatuor ad sex, desinentibus: in tribus sulcis tres nervi prominuli, utrinque hispiduli.

Habitat in rupibus et sterilibus arenosis ad maris littora ex *Ericeira* usque ad *Colares*. Floret vere. Biennis.

Obs. Differt præsertim foliis et umbellarum involucris á Dauco *Carota silvestri*, cui odore, sapore et viribus consimilis. Differt etiam á Dauco *mauritanico* Lin. caule sæpius humili, paucirameo, subtortuoso, foliorum foliolis ovatis, obtusis et eorum lacinulis obtusis: recedit insimul á Dauco *maximo* (Desfont. Fl. Atlant.) eisdem notis, et umbellularum involucellis non pinnatifidis, nec floribus in disco violaceis. A Dauco *muricato* distinguitur tam foliis, quàm in volucellis umbellularum, et seminibus minoribus, eorumque alis et aculeis angustioribus, nec adeo validis. Daucus *hispidus* (Desfont. l. c.) huic nostro nimis affinis, at diversus esse videtur caule valde longiore et ramosiore, petalis subæqualibus, et pallide flavis, flosculoque centrali atrorubente nullo; an tamen varietas? Hæ atque nonnullæ aliæ hujus generis species admodum variabiles ex solo, situ et climate; ideo determinatione difficiles.

ATHAMANTA *Turbith.*

Ath foliis radicalibus tripinnatis, caulinis bipinnatis simpliciterque pinnatis; foliolis brevissimis, linearibus, planis, subsetaceis, glabris, simplicibus, ultimis tripartitis; caule tortuoso, dichotomo, divaricato; involucro monophyllo, involucellis polyphyllis; umbellulis densis, convexis; seminibus tricostatis, villosis, stylatis.

Seseli *Turbith* Lin. Sp. pl. ed. Willd. tom. 1. pag. 1462. Amæn. Acad. 4. p. 310. La Marck Dict. Bot. Encycl. 7. p. 134.

Athamanta *Turbith.* Brot. Flor. Lusit. tom. 1. pag. 435.

Radix exalbida, fusiformis, lignosa et crassitudine pollicis cum annosa, infernè ramosa; acris, aromatica.

Caules plures, teretes, leviter striati, glabri, erecti, pedales aut paulo ultrà, tortuosi, dichotomi, ferè é basi ramosi; ramis similiter flexuosis, divaricatis.

Folia viridia, glabra; radicalia et infima caulis sæpe tripinnata; foliolis linearibus, planis, subsetaceis, brevibus, duas ad quatuor lineas longis, semilineam ad unam fere lineam latis, mucronatis, ultimis pinnularum subcuneatis, tripartitis, aut bipartitis, lacinulis similiter subsetaceis, sed brevioribus. Petiolus communis octo ad tredecim uncias longus, é medio seu ex pinnullis primariis usque ad basin subteres, suprà leviter canaliculatus, infrà et lateribus obsolete striatus, é medio ad apicem perfecte striatus, subtrigonus, basi late membranaceus, vaginans: petioli partiales oppositi, sensim breviores. Folia superiora caulis bipinnata, suprema pinnata; foliolis pariformibus, simplicibus, tripartitis aut bipartitis.

Umbellæ plurimæ caulem ramosque terminant: universalis multiradiata, radiis octo ad tredecim, inæqualibus, distinctis, striatis, glabris, plus minusve patentibus: partiales convexæ, densæ, multiradiatæ, radiis gracillimis, subvillosis. Involucrum monophyllum, ovatum, acutum, basi leviter decurrens, brevissimum, quinque sexve lineas longum; interdum in aliquibus umbellis nullum: involucella polyphylla, foliolis septem octove virescentibus, linearibus, integerrimis, umbellulâ dimidio et ultrà brevioribus.

Calyx superus, quinquedentatus, dentibus scubulatis, corolla triplo brevioribus. Corolla parva, pentapetala; petalis albis, extus interdum subpurpurascentibus, apice acuto inflexis, nec tamen emargi-



Jerr. delin.

ATHAMANTA *turbith.* (A)

Ferr. delin.

ATHAMANTA *turbith* (B).

natis. Staminum filamenta quinque, patentia, corollâ paulo longiora; antheræ subrotundæ. Pistilli germen inferum, subvillosum: styli duo, breves, erecti: stigmata obtusa.

Fructus oblongiusculus, subovalis, calyce et stylis coronatus, bipartibilis. Semina duo, hinc plana, inde convexa tricostata, quadrisulca, villosa, apice stylata.

Habitat in montosis de *Cintra*. Floret Junio, Julio. Perennis.

Planta qualitate acri et aromatica tam radicis quàm seminum Athamantæ *Cretensi* et *tortuosæ* satis similis, nec viribus diversa esse videtur; apud Lusitanos tamen penitus inusitata.

HEXANTHERIA MONOSTYLIA.

SISYMBRIUM *catholicum.*

Sis. caule primario erecto, lateralibus adscendentibus; foliis pinnatis, glabris; foliolis oblongis, serratis, indivisis, laciniatisve; florum corymbis in racemos simplices sensim valde elongatis; siliquis distantibus, longe pedunculatis, erectis, linearibus, oblongis, angustis, compressis, ad semina torulosis, basi acutiusculis, apice stylo persistente, ancipite, terminatis.

Sisymbrium *catholicum.* Lin. Syst. Veget. p. 597. Mant. 93. Sp. pl. ed. Willd. 3. p 505. n. 43. La Marck Dict. Bot. Encycl. tom. 7. p. 217. Brot. Flor. Lusit. 1. p. 587.

Eruca pumila, supina, brumalis Lusitanica.
Grisley Virid. Lusit. n. 470.

Radix alba, longa, teres, supernè crassitudine pennæ anserinæ, ibidem sublignosa, lateribusque fibrata, infernè subramosa.

Caules plures ex apice radicis, primarius erectus, alii obliqui, seu ex declinatis erecti, quatuor ad undecim uncias alti racemo supputato, plus minusve striati, subteretes, glabri, nonnunquam aliquot pilis brevissimis remotis basiqus glandulosis scabriusculi, infernè subramosi; ramis tribus ad septem, alternis, erecto-patulis.

Folia glabra, interdum rarissimis pilis brevibus basi glandulosis scabrisque adspersa; radicalia et infima caulis pinnata, pinnulis oblongis, profundè, acutè inæqualiterque serratis, nonnullis laciniatis, seu pinnatifidis, lacinulis denticulatis, quæ petiolum terminant sæpe confluentes sunt, omnes aliæ oppositæ, suboppositæ aut alternæ plus minusve decurrentes: petiolus canaliculatus, subtus convexus, ad basin sensim latior, demum semiamplexicaulis. Folia superiora caulis alterna, similia, sed minora; suprema sub racemis nonnunquam simplicia, lineari-lanceolata, integerrima, aut subserrata. Floralia nulla.

Flores in apice caulis et ramorum conferti, corymbis diu floridis, et sensim in siliquosos racemos simplices valde elongatis: racemorum pedicelli setacei, glabri, plus minusve unciales, inferiores longiores, omnes alterni, inter sese distantes, erecto-patuli.

SISYMBRIUM *catholicum.*

Calyx tetraphyllus; foliolis é viridi flavescentibus, glabris, ovato lanceolatis, acutiusculis, concavis, æqualibus, oppositis, patentibus, corolla dimidio brevioribus. Corolla cruciformis; petalis luteis, laxis, semiunciam fere longis, obovato-cuneatis, seu cuneiformiter usque ad basin sensim in unguem minimum attenuatis; eorum laminæ obtusæ, integerrimæ, patentes, sed sub solis occasum sæpe erectæ, convolutæ, arcteque conniventes.

Staminum filamenta didynama, quorum duo longitudine calycis, alia illo longiora, omnia flavescentia, subulata, erecta; antheræ luteæ, oblongæ, erectæ, biloculares. Pistilli germen superum, oblongum, filiforme, glabrum, dilute flavescens, staminum maiorum longitudine: stylus vix lineam longus, persistens: stigma capitatum, depressum, subemarginatum, seu obsolete bilobum.

Glandulæ nectariferæ quatuor, subglobosæ, virescentes, receptaculo fructificationis affixæ, quarum duæ inter stamina breviora et germen pistilli, duæ aliæ inter longiora et calycem.

Siliqua linearis, sesquilineam fere lata, unciam plus minusve longa, subrhombeo-compressa, basi et apice angustata, bilocularis, bivalvis, stylo persistente, seu dissepimento elongato, rostrata. Dissepimentum subcontrarium, membranaceum, tenuissimum, sericeo-album, ex impressione seminum scrobiculatum, basi et apice crassiusculum, cuneiforme, et ultra valvas elongatum. Valvæ longitudinaliter subcarinatæ, ad semina torulosæ, basi acutæ, apice obtusæ, utrinque dissepimento articulatæ, dehiscendo rectæ, neque elasticè desilientes. Rostrum anceps, duas lineas fere longum, stigmate sicco terminatum, sæpe sterile, interdum infernè monospermum. Semina plurima, ex triginta ad quinquaginta, parva, globosiuscula, ex fusco rufa, dissepimenti margini filiformi intervalvulari adhærentia.

Habitat in locis saxosis, aridis, interdum etiam in subhumidis, tam incultis quàm cultis, circa Olisiponem, Conimbricam et alibi per omnes fere Lusitaniæ provincias. Floret autumno, et præsertim hieme usque ad ver, rarius æstate; interdum individua aliquot toto anni curriculo florentia occurrunt. Annuum, aut bienne. Inodorum, subacre. Usus ignotus.

Obs. Species nimis affinis Sinapibus, et ab illis tantum distincta videtur petalis obovato-cuneiformibus, seu usque ad unguium basin sensim cuneiformiter attenuatis nec rectis unguibus; nam cæteris omnibus notis genericis similis, calyce scilicet corollâque patentibus, glandulis quatuor circa pistilli basin, stylo istius. et rostro siliquæ plus minusve brevibus. Hæ tamen notæ differentiales, jam ex cuneiformibus, jam ex rectis seu linearibus unguibus petalorum, desumptæ nullas determinatas metas habent, sæpe enim, ut in subsequente Sinapi *incana*, et quibusdam aliis observatur, hæ ungulæ intra calycem usque ad basin, plus minusve lineares, plus minusve cuneiformes sunt; quapropter hæ notæ valde sunt ambiguæ et insufficien-

tes ad hæc duo genera bene distinguenda. Ad hoc igitur præcipuæ et efficaciores notæ ex stigmate jam sessili jam stylato desumendæ videntur ita, ut Sisymbria vera tantum illa sint habenda, in quibus stigma sessile, seu immediate situm sit supra apices valvarum insimulque dissepimenti illis æqualis; veræ autem Sinapes illæ tantum, in quibus stigma supra stylum seu dissepimentum demum ultra valvas plus minusve elongatum atque plus minusve rostriforme, insideat.





SINAPIS *incana*

SINAPIS *incana*.

Sin. Siliquis rachi racemi appressis, glabris, rostro monospermo; foliis radicalibus lyrato-pinnatis, dentatis, utrinque pubescentibus, é viridi incanis, summis lineari-lanceolatis; caule scabriusculo.

Sinapis *incana*. Lin. Sp. pl. ed. Willd. tom. 3. p. 558. Amæn. Acad. 4. p. 280. La Marck Dict. Bot. Encycl. 4. p. 344. Gouan. Illustr. p. 45. Brot. Fl. Lusit. 1. p. 585.

Erysimum flore albo. Grisley Virid. Lusit. n. 485.

Radix alba, dura ramosa, subacri et quasi napi sapore.

Caulis sæpe solitarius, erectus, sesquipedalis, bipedalis, aut paulo altior, teres, pubescens, subincanus, scabriusculus, ramosus; ramis alternis, longis, rigidulis, patentibus.

Folia radicalia et inferiora caulis petiolata, lyrato-pinnata, utrinque villosa, é viridi canescentia; foliolis ovatis, dentatis, oppositis suboppositisve, decurrentibus, extremo maiori ovato, sublobato, dentato, obtuso; suprema ad exortum ramorum breviter petiolata aut sessilia, lineari-lanceolata, integerrima, ciliata, raro dentata.

Racemi longi, primarius ex apice caulis, alii ex ramis quasi axillares. Pedunculi alterni, floribus valde breviores, demum sub siliquis valde incrassati.

Calyx tetraphyllus; foliolis coloratis, sublinearibus, convavis, patentibus, corollâ dimidio brevioribus, deciduis. Corolla cruciformis, sex lineas fere lata; petalis luteis, rarissime albidis, nisi marcescentibus; lamina obovata, obtusa, integerrima, patente; unguibus laxis, supernè subcuneiformibus, infernè linearibus.

Staminum filamenta sex didynama, ex albido flavescentia, quorum duo longitudine calycis, alia longiora: antheræ luteæ, acutiusculæ, erectæ. Pistilli germen superum, subteres, leviter pubescens: stylus brevis, crassiusculus, altitudine staminum longiorum. Stigma capitatum, obtusum.

Glandulæ nectariferæ quatuor ovato-subrotundæ, subvirescentes, quarum una utrinque inter stamen brevius et germen pistilli, atque una utrinque inter stamina longiora et calycem, omnes fructificationis receptaculo affixæ.

Siliquæ plures, rachi racemi appressæ, immaturæ subpubescentes, maturæ glabræ, compressiusculæ, obsoletè tetragonæ, quasi teretes, quatuor ad sex fere lineas longæ, biloculares, bivalves, rostratæ. Dissepimentum subcontrarium, tenue, ultra valvulas rostriformiter elongatum. Valvulæ obsoletè carinatæ, ad semina non torulosæ, dehiscentes rectæ, neque elastice desilientes. Rostrum valvulis dimidio et ultra brevius, teres, apice acutiusculum, stigmate sicco terminatum, intus medullosum, sæpe fertile monospermum.

Semina sæpe tria quatuorve in utroque siliquæ loculo, parva, subglobosa, rufa, dissepimenti margini filiformi intervalvulari adhærentia; nonnulla abortant.

Habitat in aridis, sabulosis, ac interdum ad aggeres, et vias circa Olisiponem, Conimbricam et alibi. Floret Aprili, Maio, Junio. Biennis. Planta inodora, subacris. Inusitata.



I. HYACINTHUS *Serotinus.* II. ORCHIS *Coriophora Symphypetala.*

HYACINTHUS *serotinus.*

Hyac. floribus racemosis, secundis, cernuis, brevissime pedunculatis; bracteis solitariis, ovatis, acutis, pedunculo vix longioribus; corollis profunde divisis, laciniis lineari-lanceolatis, æqualibus, tribus interioribus in tubuli formam approximatis, apice reflexiusculis, exterioribus tribus laxis, magis reflexis; foliis linearibus canaliculatis.

Lusit. *Jacintho do tarde.*

H. *serotinus.* Brot. Flor. Lusit. tom. 1. pag. 536.

H. *serotinus*, petalis exterioribus subdistinctis, interioribus coadunatis. Lin. Sp. plant. 453. Cavan. pag. 18. tab. 30.

Lachenalia *serotina*, corollis campanulatis, pedunculatis, secundis; petalis exterioribus longioribus patulis, interioribus connatis; foliis linearibus, canaliculatis. Willd. Sp. pl. tom. 2. Pars 1. p. 175.

H. *serotinus*, floribus secundis exalbido-fulvis, corollarum laciniis exterioribus magis reflexis. La Marck Dict. Bot. tom. 3. p. 190.

Scilla *serotina.* Curtis. magaz. n. 859 et 1185.

Hyac. obsoletior Hispanicus, Anglo similis.
J. Bauh. Hist. Plant. tom. 2. p. 587.

Radix bulbosa: bulbus subglobosus, digiti crassitudine, extus et intus tunicatus, nodo basis multifibratus.

Folia omnia radicalia, linearia, acutiuscula, late canaliculata, viridia, seu ex cineraceis virescentia, nervo medio interdum albido, sex ad octo lineas lata, semipedem aut paulo ultra longa, procumbentia, sapore ingrato et quasi nauseoso.

Scapus cylindricus, gracilis, erectus, firmus, simplicissimus, viridis, glaber, octo ad quatuordecim uncias altus, racemo incluso.

Racemus terminalis. Flores undecim ad viginti, solitarii, secundi, cernui, inodori, sæpe ex purpureo obsoleto cineracei. Bractea sub singulo solitaria, albida, membranacea, ovata, acuta, concava, pedunculo brevissimo vix longior.

Calyx nullus. Corolla infera, monopetala, usque fere ad basin sex-

partita, seu laciniis ad ¾ partem distinctis, altitudine æqualibus, lineari-lanceolatis, apice obtusiusculis, demum emarcidis, nec deciduis; tribus exterioribus laxis, valde recurvis, raró profundiùs divisis quàm ad ¾ partem; interioribus erectioribus, nimium contiguis, aut interdum viscositate quadam quasi coadunatis, tubulum 5 ad 6 lineas altum effingentibus, extremitate autem patentissimis, reflexiusculis.

Stam. filamenta sex inclusa, corollâ valde breviora, subulata, infernè crassiora, ad laciniarum basin corollæ inserta, ipsisque opposita. Antheræ oblongæ, lineares, incumbentes, luteæ.

Pist. germen oblongum, obtuse trigonum; trisulcum, viride, absque ullis ad apicem poris visibilibus. Stylus triangulus, staminibus brevior. Stigma obsolete triangulum, indivisum, guttula interdum madidum.

Peric. capsula obovato-subrotunda, obtuse triloba, trisulca, trilocularis, trivalvis. Semen unum alterumve in loculo singulo, planiusculum, subrotundum, nigrum.

Habitat in glareosis humidiusculis trans Tagum in *Caparica*, prope oppidum *Manteigas* et alibi in Extremadura et Beira. Floret Maio, Junio et æstate. Perennis.

Usus ignotus.

Obs. Hæc species olim a Clusio in Hispania inventa in Germaniam et Belgicam ab ipso transmissa, ibique et alibi in hortis culta usque adhuc sæpe variare solet colore corollæ ex albido fulvo, atque ex purpureo, pallido, et virescente permixto, laciniis quoque exterioribus parum longioribus, interioribus connatis; quæ tamen in solo natali semper æquales et distinctæ omnes sunt, etsi interiores plus minusve approximatæ. Quapropter non confundenda cum Lachenaliis. Differt etiam á Scillis corolla non hexapetala, non patentissima, emarcida, nec decidua.

ALYSSUM *collinum.*

A. caulibus herbaceis, infernè ramosis; foliis obovato-lanceolatis, incanis; staminibus omnibus edentulis, duobus brevioribus squamulâ ad basin adnatâ stipatis; calycibus deciduis; siliculis incano-villosis, orbiculatis, leviter emarginatis.

A. *montanum.* Brot. Fl. Lusit. 1. p. 558.

Radix annua, tenuis, exalbida, subramosa, radiculis brevibus.

Caules nonnulli ex eadem radice tres ad sex uncias longi, filiformes, incano-villosi pilis stellatis, uti tota planta, exteriores adscendentes, interior erectus infernè ramosus, ramis simplicissimis erectiusculis.

Folia obovato-lanceolata, integerrima, utrinque incano-villosa, pilis stellatis, subpunctata, scabriuscula, quatuor ad sex lineas longa, duas tresve lata, alterna, approximata, patula vel patentia.

Flores in caulium et ramorum summitate primùm corymbiformiter congesti, deinde sensim in racemum cilyndraceum simplicissimum abeuntes, pedunculati; pedunculis filiformibus, villosis, duas ad tres lineas longis, patentibus. *Bracteæ* nullæ.

Calyx paulo corollâ brevior, quadripartitus laciniis ovatis, acutiusculis, æqualibus, extus incano-villosis, intus glabris.

Corolla cruciformis, lutea, glabra, petalis cuneiformibus, emarginatis, calyce paulo longioribus, patulis et sæpe parum apertis.

Staminum filamenta tetradynama, quatuor altiora edentula et longitudine calycis, duo breviora etiam edentula, sed squamulâ ipsis prope basin adnata et breviore, plana, lineari, apice denticulata, aucta sunt. Antheræ erectæ, obtusæ, subcordatæ, luteæ.

Pist. germen suborbiculatum, compressum, villosum; ad ispsius basin glandulæ duæ rufæ. Stylus brevis, glaber, persistens. Stigma simplex, obtusum, antherarum altitudine.

Peric. silicula orbiculata, lentiformis, diametro duarum linearum, apice brevissime emarginata, styloque ipsa dimidio breviore terminata, utrinque incano-villosa, tumidula in centro contra interna semina, marginibus complanata, bilocularis, loculis dispermis: dissepimentum parallelum, tenuissime membranaceum, pellucidum.

Semina ovato-subrotunda, compressa, rufa, glabra, brevissime marginata, intermedio funiculo umbilicali brevi albo emarginaturæ dissepimenti affixa, et inde pendentia: nonnulla abortiunt.

Habitat in collibus, et nonnunquam inter segetes circa Olisiponem. Floret primo vere. Annua. Inodora et atque vix acriuscula. Inusita.

In pravo hujus plantæ specimine sicco, quod sub nomine Alyssi *montani* mecum communicatum erat, genitalium structuram observare rite non potui, sed ea tandem in viva planta observata, speciem non tantùm ab Al. *montano* Lin. sed etiam ab Al. *calycino* et *campestri*, quibus nimis affinis, diversam esse mihi clare innotuit. Differt ab Al. *montano* præsertim radice annua et staminibus quatuor altioribus apice non bifidis; ab Al. *calycino* præcipue calyce deciduo, staminibus omnibus edentulis; denique ab Al. *campestri* filamentis duobus brevioribus, non seta contigua, sed squamula apice denticulata prope basin adnata, instructis, siliculis non ovatis, sed orbiculatis, apice emarginatis nec integris.

COLCHICUM *Lusitanum.* (*A*)

COLCHICUM *Lusitanum.* (B.)

COLCHICUM *Lusitanum.*

C. foliis planis, oblongo-lanceolatis, infimo caulem vaginante, supremis subfasciculatis, capsulas pedicellatas involventibus; corollæ laciniis lanceolatis, plus minusve tesselatis.

Lusit. *Colchico.*

Colchicum flore purpureo tesselato.
Grisley Virid. Lusit. n. 1525

Colchicum Lusitanicum purpurei cum albo mixti coloris. Joh. Bauh. Hist. Pl. tom. 2. p. 655. ex Clusio, qui Colchico Bizantino latifolio, polyanthemo affine illud esse existimabat Vide Ait. Kew. ed. nov. p. 328, et Curtis Bot. Magaz. tab. 1122. Colchicum *Bizantinum.*

Radix bulbosa; bulbus, maturo fructu, foliis cauleque siccatis, e terra effosus, subrotundus, uncialis, sesquiuncialis et ultra, hinc convexus, inde sinuatus seu canaliculatus, extus nonnullis tunicis siccis nigricantibus cinctus, intus solidus, carnosus, albus; supernè, ubi caulis inserebatur, brevi foveolâ umbilicatus; infernè, ubi veteres radiculæ hærebant, orbiculari cicatricula notatus, et inde deorsum in tuberculum unguiformem protensus; hoc immersa sub integumento denticulato gemma latet minima, solida, ovato-acuminata, alba, quæ sequenti autumno floralis; interdum alia quoque prope terminalem bulbi foveolam secunda gemma adest, quæ gracilior, debilior, et licet bulbifera raro sequenti autumno florifera est.

Mox post primas aquas autumnales é gemma, in tuberculo unguiformi sita, nova alia cito evolvitur plantula sub forma brevis bulbuli subrotundi solidi, qui lateraliter tuberculo veteris bulbi intus adhæret, basi radiculas trudit, apice autem in brevissimum cauliculum, ad sesquilineam longum, floriferumque protenditur.

Flores sex ad tredecim, quorum aliqui nonnunquam inaperti marcescibiles, omnes pedicellati, spathisque cincti. Pedicelli cauliculo sunt impositi, breves, unam ad tres lineas longi, interiores breviores, cuncti albidi, tenerrimi, subancipites, striati. Spathæ tres ad quinque ex novo bulbulo exortæ, quarum exterior longior, albida, striata, cylindrica, apice hinc fissa, inde obtusa, corollarum tubis, quos connectit, sæpe paulo brevior, infernè tunicis veteris bulbi siccis extus obtecta, ejusque lateri sinuato incumbens.

Perianthium nullum; ejus loco spathæ. Corolla glabra, monopetala,

tubulosa, supernè sexpartita: tubus quatuor ad sex uncias longus, angulatus, subtriquetrus, ex spatha exteriore plus minusve exertus, patulus, aut reflexus; limbi laciniæ petaliformes, albicanti-purpureæ, lanceolatæ, obtusiusculæ, concavæ, carinatæ, sesquiunciam longæ, semiunciam fere in medio latæ, plus minusve tessellatæ, subæquales, erecto-patulæ.

Staminum filamenta sex, fauci corollæ inserta, subulata, albida, quorum tria aliis alternis longiora, corolla tamen paulo breviora; antheræ quadrivalves, oblongæ, luteæ. Pistilli germen superum, pedicello brevissimo simul cum corolla impositum, oblongiusculum, trigonum, trisulcum, glabrum: styli tres, glabri, ad apicem dilute purpurei, staminibus longiores, corolla verò paulo breviores: stigmata purpurascentia, subvillosa, canaliculata, recurva.

Florescentia finita, bulbulus augescere pergit, non radiculis solum suis, sed succo etiam, quem ex veteri bulbo ei infernè adhærente exsugit, usque donec iste penitus exsuccus pereat, enutritus. Folia nova tunc ex ipso bulbulo evolvuntur, paulatim sub terra increscunt, et ibidem latent sæpe fere usque ad hiemale solstitium; postea ex illa erumpere incipiunt, et citius crescunt ita, ut veris initio plenam fere magnitudinem adepta sint; eo tempore oblongo-lanceolata sunt, acuta, aut obtusiuscula, octo ad quindecim uncias longa, unam ad duas lata, integerrima, striata, viridia, glabra, plana, non undulata, neque plicata nisi obsolete et sic rarissime, subtus leviter carinata, supra vix canaliculata; folium infimum exterius bulbum novum tunicat, superneque caulem vaginat, intermedia caulina vix ulla, et cum adsunt, caulem semiamplexantur; suprema sessilia, imbricata, subfasciculata, capsulas aggregatas involventia, cauleque summopere longiora sunt.

Caulis ex apice novi bulbuli exoritur, primodum subterraneus est, demum ex una ad tres uncias supra terram erigitur, teres, crassitudine pennæ anserinæ, simplicissimus, glaber, apice valde foliatus, ibique frugiferus.

Capsulæ tot quot pistilli germina, aggregatæ, seu quasi umbellatæ, breviter pedicellatæ, nonnullæ abortivæ, quatuor quinqueve sæpe fertiles, omnes inter folia terminalia caulis reconditæ, ex Maio ad Julium maturescentes; harum quælibet ovata, acuta, glabra, triloba, composita ex tribus partialibus unilocularibus, inflatis, subtriquetris, ad axem inter sese coadunatis, aliò versum liberis, sutura interna ad usque medium dehiscentibus. Semina plurima, subglobosa, rugosa, subrufa, funiculis umbilicalibus brevissimis suturæ internæ capsularum partialium adhærentia; nonnulla sæpe abortant.

Habitat in collibus incultis et saxosis *de Alcantara* prope Olisiponem, et alibi in Extremadura. Floret ineunte autumno absque foliis. Perenne.

Obs. 1.° Nimis affine Colchico *autumnali*, sed foliis citius é terra erumpentibus, floribus sæpe numerosioribus, corollæque laciniis plus minusve tessellatis, dissimile. An tamen varietas? Ejus bulbus amarus est, ac illo pro Colchici autumnalis bulbo Pharmaceutici Olisiponenses interdum utuntur.

Obs. 2.° Nostrum Colchicum *bulbocodioides* (Fl. Lusit. 1. p. 597, et Phyt. Lusit. tom. 1. p. 119. tab. 50) longe sane diversum est a Colchico *bulbocodioide* Marsh. Flor. Taur. Cauc. 1. p. 293; istud enim monopetalum et multiflorum est. Clusius olim illud pro Colchici montani varietate minori habuerat; Lapeirousius et Desfontaineus postea illud ad Bulbocodium amandarunt; Ramondus tandem ex illo, utpote stirpe media inter Colchicum et Bulbocodium considerato, novum genus instituit, eique nomen *Merendera* imposuit, quo Colchica vulgus Hispanum appellare solet. Hoc arbitramentum Clar. Poiret et alii recentiores secuti sunt. Vid. La Mark Dict. Bot. Encycl. Suppl. tom. 3. p. 665. Merendera *bulbocodium*.

OCTANTHERIA MONOSTYLIA.

POLYGALA *microphylla.*

P. floribus racemosis; calycis foliolis duobus alæformibus obovato-subrotundis, corollam imberbem æquantibus; caule frutescente, ramoso; foliis minutis, lanceolatis, acutis, caducis.

P. *microphylla.* Brot. Fl. Lusit. tom. 2. p. 30. Link Fl. Lusit. 1. p. 297. tab. 56. Lin. Sp. pl. ed. Willd. 3. p. 889. La Marck Dict. Bot. Encycl. tom. 5. p. 494.

P. Lusitanica frutescens, magno flore, foliis minimis.
Tourn. Inst. R. H. 175.

Polygala, seu flos ambarvalis, Lusitana.
Grisley Virid. Lusit. n. 1172.

Radix ramosiuscula, lignosa, apice nodosa, ibique crassitudine fere digiti minimi, perennis.

Caules plures ex eadem radice, obliqui seu erectiusculi, octo ad tredecim uncias longi, fruticosi, virides, glabri, virgati, filiformes, subangulosi, sulcati, infernè prope radicem teretes, sub basibus foliorum caducorum dentati seu tuberculati, diffuse ramosi; rami alterni, striati, glabri, sed recentiores lente visi subpubescentes.

Folia minuta, lineam ad sesquilineam in medio lata, tres quatuorve longa, lineari-lanceolata, acuta, integerrima, in medio prominenter costata, sessilia, tuberculo decurrenti insidentia, glabra, sed lente visa subpubescentia; omnia alterna, remota, erecta, caduca.

Flores racemosi; racemi caules et ramos terminant, componuntur ex racemulis plurimis alternis, unam ad tres uncias longis, erectiusculis, quinque ad novemfloris. Folia floralia ovato-lanceolata, acutiuscula, vel ovato obtusa, ex albidis cærulea, caduca; sub singulo flore sæpe tria. Pedicelli florum approximati, alterni, tenuissimi, brevissimi, cærulei, sæpe plus minusve recurvi.

Calyx pentaphyllus, cujus folia tria parva, æqualia, ad margines cærulescentia, lanceolata, peracuta, glabra; duo alia maxima, alas corollæ effigentia, plana, tenuissime venosa, obovato-subrotunda, vix acutiuscula, et vix ungulata, in anthesi cærulea, postea ex albidis lutescentia.

Tab. 175



I. C. R. Sculp.

POLYGALA *microphylla*



Corolla omnino cærulea, irregularis, subpapilionacea, figura tamen propria, monopetala, tubulata, limbo diviso, et vexillum atque carinam constituente: vexillum bipartitum, segmentis obtusis, obovatis, concavis, altero alterum amplexante: carina minima, concava, vexillo tecta, imberbis antheras includens.

Staminum filamenta diadelpha octo, in duos fasciculos collecta, simul cum antheris carinæ inserta, et eâ inclusa. Antheræ octo oblongiusculæ, lutescentes, uniloculares.

Pistilli germen subovale, subpedicellatum. Stylus germini impositus, filiformis, erectus, ligula acuta concava cærulea terminatus. Stigma deflexo-uncinatum, liberum, infernè ligulâ styli vaginatum.

Capsula pendens, obcordata, compressa, glabra, bilocularis, bivalvis, dissepimento valvis contrario, suturis marginum utrinque dehiscens. Semina in utroque loculo solitaria aut duo, ovalia, umbilico glandulosa, albuminosa, embryone inverso.

Habitat in dumetis montium circa Conimbricam, in Beira boreali et Interamnia, in *Monte-Junto* et alibi. Floret Aprili, Maio, Junio. Frutrex.

Planta inodora, amara. Usus ignotus.

POLYGALA *Monspeliaca.*

Pol. floribus racemosis; calycis foliolis alæformibus corollâ valde longioribus, ovali-oblongis, trinerviis; caule herbaceo, sæpe solitario, erecto; foliis lineari-lanceolatis, peracutis.

Pol. *Monspeliaca.* Brot. Fl. Lusit. tom. 2. p. 29. Link Fl. Lusit. 1. p. 278. tab. 55. Lin. Sp. pl. ed. Willd. 3. p. 874. La Marck Dict. Bot. Encycl. 5. p. 487. (uti P. *vulgaris* varietas.) Desfont. Fl. Atlant. 2. p. 129. Decand. Fl. Franç. 3. 457. et Icones Plant. Galliæ p. 3. tab. 9. Villars. Delphin. 3. p. 387.

Polygala vulgaris coloris obsoleti, foliis angustisssimis. Joh. Bauh. Hist. Pl. 3. p. 318.

Radix simplex, brevis, parce fibrata, annua in cunctis hujus speciei individuis a me in Lusitania observatis.

Caulis sæpe solitarius, subteres, filiformis, quatuor ad octo uncias longus, erectus, glaber, simplex, ramis perpauculis alternis indivisis instructus, interdum simplicissimus.

Folia anguste lanceolata, acutissima, integerrima, dilute viridia, glabra, subsessilia, sessiliave, alterna, erecta, sæpe laxa seu remotiuscula.

Racemi caulem et ramos terminant; flores minores quàm in specie præcedenti, nutantes, subsecundi, pedicellis longiores. Bractea sub singulo pedicello brevissima, caduca.

Calyx pentaphyllus, cujus foliola tria brevia, lanceolata, acuta, duo alia alæformia membranacea, ovali-oblonga, acutiuscula, pallide rosea aut virescentia, trinervia, reticulata.

Corolla rubens, lineis virentibus variegata; carina cristata.

Stamina et Pistillum ut in Polygala *vulgari*; capsula quoque similis, sed minor. Semina ovalia; unicum in singulo loculamento.

Habitat in collibus aridis et incultis circa Conimbricam et Olisipo-

Tab. 176

J. C. R. Sculp.

POLYGALA *Monspeliaca*.

nem usque ad radices montium de *Cintra*, et ex *Monte-Junto* usque ad *Obidos*, et alibi. Floret Maio, Junio, Julio. Annua.

Planta inodora et amariuscula. Usus ignotus.

Obs. Nimis affinis Polygalæ *vulgari*, et pro illius varietate a nonnullis Botanicis habita; sed ex foliolis calycis alæformibus corolla longioribus, atque ex aliis commemoratis notis, diversa esse nobis videtur.

DECANTHERIA MONOSTYLIA.

ONONIS *Hispanica.*

On. pedunculis folio longioribus, unifloris, aristatis, aristis calyce brevioribus; foliis omnibus ternatis, villoso-viscosis, foliolis subovalibus, ferè usque ad basin serrato-dentatis, canaliculatis, recurvatis; stipulis subulatis, recurvis, integerrimis, nonnullis unidentatis; floribus cernuis; corollis leguminibusque calyce valde longioribus.

Lusit. *Joina dos matos.*

Ononis *Hispanica.* Lin. Sp. pl. ed. Willd. 3. p. 1008. et Lin. fil. Suppl. 324.

Ononis *crispa.* La Mark Dict. Bot. Encycl. 1. p. 510. (non Lin.)

Anonis non spinosa, villosa et viscosa Hispanica. Barrel. Icon. 775.

Ononis non spinosa, flore luteo perennis.
Grisl. Virid. Lusit. n. 1083.

Radix lignosa longe et valde ramosa. Caulis sæpe mox a basi divisus, seu ex capite radicis sæpe plures, lignosi, teretes, tortuosè erecti, octo ad quindecim uncias longi, ramosissimi; ramis alternis, inferioribus patulis, defoliatis, teretibus, superioribus foliatis subancipitibus, arcte approximatis, villoso-viscosis, ut tota planta.

Folia approximata, omnia usque ad ramorum apices ternata, patentia, foliolis obtusis, subovalibus aut obovatis, duobus lateralibus quatuor lineas longis duas latis, subsessilibus, intermedio paulo maiori, pauloque longiùs petiolato, lateribus et apice usque fere ad basin dentato-serratis, recurvatis, rigidulis, utrinque saturate viridibus et viscoso-villosis, subtus carinatis, supernè canaliculatis et ferè conduplicatis cum juniora sunt. Petiolus viscoso-villosus, supra canaliculatus, subtus subcarinatus, usque ad stipularum adnationem tres quatuorve lineas longus. Stipulæ duæ, viscosæ, infernè adnatæ, amplexicaules et subvaginantes, supernè subulatæ, integerrimæ, aut nonnullæ uno alterove dente instructæ, recurvæ, petiolo æquales aut paulo breviores, in ramis junioribus internodia superantes.

Flores laterales, axillares, pedunculati, cernui; pedicelli filiformes, persistentes, folio plus minusve longiores, solitarii, uniflori, rarissi-

ONONIS *Hiſpanica*

me aliqui biflori, aristati; arista lineam fere lata, villosa, pedicello ad quatuor lineas infra calycem inserta, calycinisque laciniis valde brevior.

Calyx profunde quinque partitus, laciniis patulis, lineari-subulatis, subæqualibus, integerrimis, villosis, corolla dimidio brevioribus, persistentibus.

Corolla lutea, glabra, magnitudine ut illa On. *Natricis*. Vexillum obovato-subrotundum, rubris venulis longitudinaliter pictum, aliquantulum reflexum. Alæ oblongæ, sublineares, obtusæ, vexillo parum breviores. Carina stamina pistillumque involvens, falcata, acuminata, alarum longitudine, basi bifida, bidentata.

Staminum filamenta decem, basi monadelpha, ibique in tubum cylindricum exalbidum, coalita, et pistillum vaginantia. Antheræ incumbentes, luteæ.

Pistilli germen lineari lanceolatum, acuminatum, villoso-viscosum, villis hyalinis. Stylus glaber, assurgens, staminibus vix longior, persistens. Stigma simplex, subpubescens.

Legumen teres, turgidum, subvillosum, calyce fere triplo longius, pendulum, stylo terminatum. Semina sæpe quatuor quinqueve reniformia, subflavescentia; nonnulla sæpe abortiunt.

Habitat in collibus incultis et solo macro sabuloso, circa Olisiponem, trans Tagum, et alibi in Extremadura, Transtagana et Algarbiis. Floret vere et æstate. Frutex.

Odor totius plantæ resinosus, sed non ingratus; sapor levissime amarus, subacris. Usus medicus ignotus. Nimis affinis On. *pingui* et *natrici*, ab eis autem diversa præsertim foliis minoribus, non planiusculis; plus viscidis, non oblongis, nec apice tantùm dentatis, aristisque pedunculorum flore brevioribus, et foliis floralibus non simplicibus. Nec etiam confundenda cum On. *crispa*, á qua discrepat foliis non undulatis, pedunculis non muticis, calycisque laciniis apice non tridentatis. Ononis *ramosissima* (Desfont. Fl. Atlant.) etsi ei simillima, et quasi varietas, ab ea tamen differt foliis præcipue angustioribus, brevioribus, lineari-obovatis, non recurvatis, nec adeo canaliculatis.

UNIVERSIDAD DE GRANADA Hospital Real Biblioteca

DECANTHERIA PENTASTYLIA.

SEDUM *Lusitanum.*

S. foliis succosis, sublanceolatis, convexo-planiusculis, mucronatis, basi solutis, inferioribus in contortas series imbricatis, superioribus vage sparsis; caule ex declinato erecto; cyma glabra, bifida, trifida; corolla sæpe hexapetala, obtusa.

Lusit. *Herva pinheira enxuta.*

Sedum *fruticulosum.* Brot. Fl. Lusit. tom. 1. p. 206.

Radix fibrosa, perennis.

Caules plures ex eadem radice, teretes, infernè crassiores, pennæ anserinæ fere crassitudine, dilute virides, glabri ut tota planta, semipedales, pedales et ultra, primum parum declinati deinde erecti nec unquam nutantes; primo anno sæpe steriles, infernè interdum reptantes, ibique sensim effoliati alterneque ramiferi, ad basin rigescentes ac per aliquot annos vividi, supernè post maturos fructus siccescentes.

Folia carnosa, compressa seu convexo-planiuscula, sublanceolata, sesquilineam ad tres lineas aut paulo ultra in medio lata, semiunciam ad sesquiunciam longa, inferiora angustiora et longiora, apice acutiuscula mucronataque, basi soluta appendiculoque membranaceo acutiusculo caudata; omnia lævia, enervia, avenia, integerrima, dilute viridia, raro subglauca; in caulibus sterilibus congesta et interdum quadri seu quinquefariam, rarius sex aut septemfariam, contorte imbricata; in caulibus florentibus inferiora approximata, alia laxe sparsa, sensim versus eorum apices decrescentia, et sensim remotiora, omnia erecta.

Flores in cymam terminalem digesti. Cyma glaberrima, in duos tresve ramos, seu radios primarios, divisa, quorum singulus sæpe bifidus aut trifidus, ramulis, seu radiis secundariis, sæpe subæqualibus, patulis, apice recurvis, multifloris. Involucrum nullum, nisi pro illo folium parvum, quod nonnumquam occurit paulum a cymæ basi dissitum, assumatur. Bracteæ ad flores etiam nullæ, nisi unum aliudve pusillum folium, interdum ad inferiora ramulorum situm, eas esse existimetur. Flores in duas series alternè dispositi, subsessiles, ere-

SEDUM *Lusitanicum.*

cti, introsum spectantes; unus in dichotomiis seu prope illas solitarius.

Calyx sæpe sexpartitus, laciniis ovatis, acutiusculis, lineam ad sesquilineam longis, viridibus, succosis, erectis, maturo fructu laxulis, persistentibus.

Corolla sæpe hexapetala; petalis calyce duplo longioribus, patentibus, sublanceolatis, obtusiusculis, concavis, luteolis, ad margines albidis seu ex albido-luteolis, carinâ virescentibus.

Staminum filamenta sæpe duodecim, receptaculo inserta, quorum sex calycis laciniis, sex alia petalis opposita, erecta vel leviter obliqua, subulata, infernè plana, et intus ibi subpubescentia, supernè glabra, omnia corollæ longitudine. Antheræ luteæ, erectæ, oblongæ, lineares, bisulcatæ, biloculares.

Pist. germina sæpe sex, oblonga, angulosa, acuta, in stylos breves subulatos desinentia; in anthesi primùm in pyramidem hexagonam conjuncta, deinde sensim laxiora, demum matura supernè stellæ formam referentia. Stigmata simplicia, acutissima.

Ad singuli germinis basin squamula nectarifera emarginata, receptaculo inserta, adeo minima, ut vix ac ne vix interdum lente vitrea visibilis.

Capsulæ tot quot germina, erecto-patulæ, acutæ, breviter aristatæ, uniloculares, longitudinaliter sutura introrsum dehiscentes. Semina plurima oblonga, striata, scobiformia, suturæ affixa.

Habitat in solo raro, macro, sabuloso, interdum ad aggeres in *Beira* meridionali ac Extremadura, maxime circa Olisiponem et ultra Tagum in ora maritima de *Caparica.* Floret Julio, Augusto. Perenne et quasi suffrutex.

Sapor totius plantæ subadstringens; odor nullus. Ab empiricis Olisipone usitatum, illi easdem vires tribuentibus, quæ Sedo *telephio* et Sempervivo *arboreo tectorumque* a peritis medicis assignatur.

Obs. 1.° In quibusdam, etsi paucis, floribus ejusdem cymæ variat calycis laciniis quinque cum totidem petalis et germinibus, duploque staminum numero. In locis humidis, aut in hortis culta, et ibi nimis irrigata variat interdum habitu maiori, cyma vage ramosa quasi paniculata, et floribus fere omnibus decandris pentagynis.

Obs. 2.° Affine Sedo *Hispanico*, sed diversum cyma et habitu non pubescenti, foliis penitus viridibus, nec punctis purpureis picta, floribus non sessilibus, et corolla non omnino alba. A Sedo *rupestri*, etsi pro ipsius varietate a nonnullis habeatur, plus adhuc longe differt, ut facile ex descriptione data patet. Sedo *altissimo* La Markii (Dict.

Bot.) et Sempervivo *sediformi* Jacquinii (Hort. T. 81.) similitudine adeo proximum, ut forte illa ambo nonnisi nostræ speciei variata individua sint, nullis foliis teretibus productis, et squamis, quæ ad germinum basin ex more summopere minimæ sunt, abortientibus, sicuti non raro in pluribus nostræ plantæ cultæ floribus, ut ipse observavi, evenire solet.

MALVA *mauritiana* LAVATERA *Sylvestris*

POLYANTHERIA MONOSTYLIA.

MALVA *mauritiana.*

M. caulibus sæpe adscendentibus, scabriusculis; foliis inferioribus septilobis, obtusis, crenatis, superioribus quinquelobis, acutiusculis; petiolis pedunculisque subpubescentibus; calycis externi foliolis late sejunctis, lanceolatis, ciliatis, interno paulo brevioribus; petalis saturate purpureis, unguibus utrinque villo spisso albo barbatis.

Radix ramosa, alba, dura, annua.

Caules plures ex eadem radice, sæpe ex prostrato adscendentes, aut obliqui, raro erecti nisi centralis, pedales ad bipedales, teretes, leviter sulcati, scabriusculi, pubescentes, ramosi; ramis axillaribus, alternis, supremis folio brevioribus.

Folia alterna, patentia, cordato-orbiculata, inferiora septemlobata, septemnervia, lobis obtusis, crenatis, supernè glabriusculis, infernè subpubescentibus; superiora quinqueloba, lobis acutiusculis; omnia longe petiolata, petiolis lamina fere duplo longioribus, subteretibus, scabriusculis, suprà canaliculatis valde villosis, subtus convexis, leviter pubescentibus, seu glabriusculis Stipulæ membranaceæ, subvillosæ, erectæ, approximatæ, sed non coalitæ, ovatæ, in axillis inferioribus apice obtusiusculæ et obsolete denticulatæ, in superioribus acutiusculæ.

Flores axillares, tres quatuorve fasciculati, infimi quandoque solitarii, omnes pedunculati; pedunculis inæqualibus, semiunciam ad sesquiunciam longis, simplicissimis aut compositis, petiolo multo brevioribus, subvillosis, erectis, fructiferis reflexis.

Calyx duplex, persistens; exterior triphyllus, foliolis basi late disjunctis, lanceolatis, acutis, integerrimis, ciliatis, trinerviis, extus villosis, intus glabris; calyx interior monophyllus, semiquinquefidus, externo paulo longior, laciniis late ovatis, acutis, ciliatis, extus viridibus villosis, intus glabris in centro atropurpureis.

Corollæ petala quinque, saturate purpurea, singula tribus venis saturatius purpureis picta, plana, patentia, obcordato-cuneiformia, tredecim ad quindecim lineas longa, tubo staminum infernè affixa, unguibus purpurascentibus, utrinque in basi villo denso albo instructis, unde maculæ quinque albæ in fundo floris.

Staminum filamenta numerosa, purpurea, glabra, infernè in tubum coalita, supernè libera, petalis fere triplo breviora. Antheræ purpurascentes, reniformes, uniloculares, bivalves.

Pistilli germen superum, sub tubi staminum basi dilatata reconditum, orbiculatum, flavescens, glabrum. Stylus brevis, cylindricus, infernè lutescens, tubo staminum vaginatus. Stigmata duodecim, setosa, purpurea, longitudine staminum, illis demum paulo longiora.

Capsula subrotunda, depressa, in centro umbilicata, ex novem ad duodecim composita capsulis partialibus rotundato-reniformibus, subtriquetris, dorso subrugosis, subvillosis, unilocularibus, evalvibus, orbiculatim receptaculo columnari centrali affixis, monospermis. Semen reniforme.

Habitat in saxosis sterilibus circa Olisiponem, præsertim in prædio, vulgo *Cerca dos Jeronimos*, sed raro occurrit. Floret vere. Annua.

Qualitate et viribus Malvæ *silvestri* similis, cui etsi valde affinis et pro illa quandoque habita, ab ea tamen differt præsertim foliolis calycis externi remotioribus, lanceolatis, nec ovatis, corollaque valde maiori, saturate purpurea, nec cærulescenti. Malva *mauritiana* Linnæi, Cavanilles et aliorum Botanicorum, sicut etiam Malva *glabra* La Mark, nonnisi hujus nostræ varietates, ex soli naturâ, climatis diversitate, et maxime culturæ causa, mihi esse videntur.

LAVATERA *silvestris.*

Lav. caule herbaceo, erecto, scabro, piloso; foliis cordato-subrotundis, inferioribus septilobis, obtusis, superioribus quinquelobis, acutis; pedunculis aggregatis; calyce exteriori paulo breviore, monophyllo, tripartito, segmentis late ovatis, vix acutis.

Lusit. *Malva alta.*

Lavatera *silvestris.* Brot. Fl. Lusit. 1. pag. 277.

Malva silvestris, amplo flore. Grisley Virid. Lusit. n. 945.

Radix ramosa, exalbida, rigida, annua.

Caulis sæpe solitarius, erectus (raro plures adscendentes, centralis tantùm erectus) altitudine nimis varians, pedalis, bi, tri, quadripedalis et ultra, ramosus, teres, sulcatus, pilosus, ut tota planta, pilis sæpe binis ex eodem puncticulo scabroso. Rami alterni, axillares, floribus onusti, superiores folio laterali breviores.

Folia alterna, petiolata, cordato-orbiculata, viridia, utrinque subpubescentia; inferiora tres quatuorve uncias lata, septiloba, lobis obtusis, crenatis, subtus septemnerviis, nervis scabris, apice venosis; superiora quinqueloba, lobis acutis, acuteque crenatis Petioli lamina folii longiores, erecto-patuli, subteretes, punctato-scabri, pilosi, supra leviter canaliculati, subtus convexi. Stipulæ membranaceæ, ovatæ, acuminatæ, nervosæ, utrinque pubescentes, piloso-ciliatæ, solutæ, appressæ, aut erecto-patulæ.

Flores axillares, quatuor ad septem fasciculatæ, omnes pedunculatæ; pedunculis unifloris, inæqualibus, semiunciam ad sesquiunciam longis, filiformibus, pilosiusculis, erectis, fructiferis patulis aut plus minusve reflexis.

Calyx duplex, persistens; exterior vere monophyllus, tripartitus, segmentis late ovatis, brevissime acutis et quasi obtusis, integerrimis, viridibus, nervosis, extus et orâ marginali pilosis, intus glabriusculis; interior etiam monophyllus, semiquinquefidus, exteriore paulo longior, laciniis ovatis, acuminatis, utrinque viridibus, extus villosis, intus glabris.

Corollæ petala quinque albido cærulescentia, seu dilute cærulea, tribus venis eodem colore saturatiori picta, plana, patentia, obcorda-

to-cuneiformia, æqualia, decem ad duodecim lineas longa, unguibus albidis, utrinque basi villosis, imo tubo staminum adnata.

Staminum filamenta numerosa, infernè in tubum album apice villosum coalita, supernè libera, petalis duplo breviora. Antheræ albidæ, reniformes, bivalves, uniloculares; granula pollinaria globosa, alba, numerosa.

Pistilli germen superum, sub tubo staminum infernè dilatato reconditum, orbiculatum, flavum, glabrum. Stylus brevis, cylindricus, lutescens, tubo staminum vaginatus. Stigmata octo aut novem, setosa, cærulea, longitudine staminum, illis demum paulo longiora.

Capsula rotunda, glabra, depressa, in centro umbilicata, ex octo aut novem composita capsulis partialibus, rotundato-reniformibus, subtriquetris, dorso lævibus, unilocularibus, evalvibus, orbiculatim receptaculo columnari centrali adhærentibus, monospermis. Semen reniforme.

Habitat in locis cultis et incultis, ad vias, aggeres, muros frequens in tota Lusitania. Floret vere. Annua.

Qualitate et viribus Malvæ *silvestri* similis, ei nimis affinis, et pro illius varietate sæpe habita; sed calyce externo vere monophyllo tripartito, nec triphyllo, ab omnibus Malvis differt, et vera Lavateræ species.



RANUNCULUS *dimorphorhizus.* ALYSSUM *collinum.*

POLYANTHERIA POLYSTYLIA.

RANUNCULUS *dimorphorhizus.*

Ran. pubescens; radice supernè subrotunda bulbosa, infernè fasciculata; caule solitario, erecto, sulcato, subtereti, paucifloro; foliis radicalibus primordialibus ovatis, dentatis, aliis tri-quinquepartitis, laciniis cuneiformibus, incisis, acute dentatis; caulinis tripartitis; supremis linearibus, integerrimis; pedunculis sulcatis; calycibus patentibus.

Radix dimorpha, supernè bulbosa, bulbo subrotundo, solido, crassitudine magni pisi, aut aliquanto maiori, petiolis late membranaceis foliorum recentium cincto, extusque aliorum veterum petiolorum reticulis siccatis obducto; infernè grumosa, tuberculis carnosis, sesquilineam crassis, oblongiusculis, in filiformes fibras valde longiores abeuntibus, composita.

Folia radicalia in orbem posita, septem ad novem, primordialia ovata, flabelliformia, dentata, alia tri-quinquepartita, laciniis cuneatis, partitis, incisis, acuteque dentatis, utrinque pubescentibus, ut tota planta, pilis adpressis, omnibus longe petiolatis, petiolis canaliculatis, basi late membranaceis, bulbum involventibus; caulina intermedia duo triave, alterna, in petiolum decurrentia, tripartita, laciniis incisis aut interdum integerrimis; suprema sæpe duo sessilia, ferè opposita, linearia, acuta, angusta, brevia, indivisa.

Caulis solitarius, erectus, quinque ad novem uncias altus, subteres, sulcatus uti rami et pedunculi, villosus pilis arctè adpressis, infernè nudifolius, supernè paucifolius, ramisque tribus ad quinque terminatus; rami erecti, uniflori, inæquales, centrali caulino breviore.

Calyx pentaphyllus, foliolis ovato-lanceolatis, concavis, dorso viridibus, margine membranaceo flavescentibus, intus glabris, extus subpubescentibus, patentibus, corollæ adpressis.

Corolla pentapetala, diametro tredecim linearum; petalis flavis, obovato-cuneatis, lineatis, nitidis, ad basin macula ex viridi flava notatis; squama nectarifera ad unguem obovata, seu fere obcordata, plana.

Stamina numerosa, corolla dimidio breviora; filamenta lutea: antheræ oblongæ, filamentis adnatæ, luteæ. Pistilli germina plurima,

glabra, in capitulum ovatum collecta: stylus nullus: stigma simplex, reflexum.

Fructus ovalis, obtusus, septem ad novem lineas longus. Semina plurima, nuda, mucronata, glabra, receptaculo subvilloso annexa.

Habitat in collibus nonnullis ex Olisipone usque *Cintra*. Floret vere. Perennis

Obs. Planta inodora, acris, inusitata. Bulbus radicalis subrotundus in solo sicco sæpe maior evadit, quam in subhumido; penitus solidus est, ei nulla cavitas nisi quæ gemmulam novæ plantæ sub apice sitam continet, nullibique ova insectorum ulla recondit, ideo ut galla ab ipsis formata existimari non debet. Nimis affinis Ranunculo *flabellato* (Desfont. Fl. Atlant.) et Ranunculo *gregario* (nostræ Fl. Lusit.) qui forte ejus varietates sunt, radice supernè non subglobosa, sed ibi sub gemmula tenui tantùm fasciculata, istudque ex solo nimis humido et pingui proveniens sit.

Tab. 181

RANUNCULUS *adscendens*

RANUNCULUS *adscendens.*

R. hirsutus; radice fasciculata; caule ex prostrato adscendente, alternè ramoso, multifloro; foliis radicalibus longe petiolatis, cordato-ovatis, tripartitis, laciniis latè obovatis, inæqualiter dentatis, lateralibus bifidis; rameis superioribus subsessilibus tripartitis, laciniis cuneatis aut sublinearibus; pedunculis sulcatis, angulosis; calyce reflexo.

R. latifolius, radice grumosa oblonga, maior.
Grisl. Virid. Lusit. n. 1608.

R. *adscendens.* Brot. Fl. Lusit. 2. pog. 370.

Radices fasciculatæ, glabræ, supernè teretes, carnosæ subfusiformes, ibique sesquilineam ad fere lineas duas crassæ; infernè attenuatæ filiformes, longissimæ, ad quinque uncias et ultra longæ.

Caules ex eodem nodo radicali tres, quatuor et ultra; centralis valde obliquatus, laterales, ex prostratis adscendentes, fistulosi, plus minusve hirsuti, ut tota planta, virides, aut interdum ad radicem purpurascentes, ibique teretes, supernè angulosi, ex imo ad apicem alternè, seu dichotome, subramosi, dodrantales ad pedales, paucifolii. Rami axillares, nonnulli opposifolii, infimi ex decumbentibus adscendentes, superiores erectiusculi, patuli parcè divisi.

Folia radicalia cordato-ovata, profunde triloba, vel tripartita, sesquiunciam aut paulo ultra lata, laciniis late obovatis, inæqualiter dentatis, venosis, triste viridibus, utrinque hirsutis, duabus lateralibus sæpe leviter bifidis interdum trifidis; petiolo bi-triunciali et ultra, supra leviter canaliculato, basi latiore; caulina minora, remota, alterna, profunde tripartita, inferiora laciniis cuneatis, dentatis, et interdum etiam fissis, infernè angustatis basique brevi petioliformi, marginibus membranaceâ, caulem aut ramos amplexante; suprema etiam alterna, sæpe tripartita, laciniis angustis, linearibus aut sublinearibus, integerrimis, nonnulla interdum opposita, indivisa, linearia, sessilia.

Flores numero ramis caulium proportionati, pauci aut plurimi, quatuor ad sexdecim in singulo caule, pedunculos longos, striatos, sulcatos, pubescentes, terminantes.

Perianthium pentaphyllum, foliolis in pedunculum reflexis, lanceolatis, acuminatis, nervosis, flavescentibus, extus pilosis, intus glabris concavis, corolla paulo brevioribus, deciduis.

Corolla lutea, diametro novem ad tredecim linearum; petala obovata, sæpe integerrima, rarissime aliqua apice rotundato obsolete emarginata, supernâ facie nitida, lineata, ad unguem macula e viridi flavâ notata, ibique foveola et squamulâ minima obovata instructa.

Stam. filamenta plurima indefinita, lutea, capillaria, brevia. Antheræ oblongæ, obtusæ, lineares, luteæ, erectæ, corollâ fere triplo breviores.

Pist. germina numerosa, in capitulum ovatum antheris paulo brevius collecta, flava, ovata, acuta, compressa. Styli nulli. Stigmata flava, acuta, recurva, minima.

Semina plurima, ovata, marginata, plana, viridia, glabra, lævia, stigmate minimo acutiusculo leviter recurvo persistente instructa. Receptaculum ovato-subglobosum, villosum.

Habitat in dumetis umbrosis, ad ima collium, in locis humidis, circa Conimbricam, Olisiponem usque ad *Cascaes*, *Cintra*, et alibi in Beira et Extremadura. Floret Aprili, Maio. Perennis.

Usus ignotus, radix ut tota planta acris.

Variat habitu plus minusve hirsuto; caule plus minusve ramoso; foliis radicalibus et infimis caulinis ad sinus seu fissuras maculatis; superioribus caulium et ramorum ternatis quaternatisve, et eorum foliolis ovatis, trifidis, petiolatis.

INDEX

Plantarum hujus Tomi II. secundum nostræ Floræ Lusitanicæ Systema sexuale numericum distributarum.

DIANTHERIA MONOSTYLIA.

	Tab.	Pag.
SALVIA *hiemalis*	83	3
——— *patula*	84	6
VERONICA *Lusitana*	85	8
GRATIOLA *linifolia*	86	10
ORCHIS *longicruris*	87	12
——— *papilionacea rubra*	88	17
——— *coriophora symphypetala*	89	19
——— *cordata*	90	21
——— *conica*	91	23
——— *latifolia labrovaria*	92	25
OPHRYS *tenthredinifera*	87	27
——— *labrofossa*	88	29
——— *apifera subterrostrunca*	90	32
——— *aurita*	91	34
——— *fusca*	93	36
——— *corniculata*	93	38

TRIANTHERIA MONOSTYLIA.

CROCUS *autumnalis multifidus*	94	40
IRIS *trialata*	95	44
—— *subbiflora*	96	47

TRIANTHERIA DISTYLIA.

TRITICUM *litoreum*	97	51
BROMUS *cylindraceus*	98	54
——— *caudatus*	99	57
——— *geniculatus*	100	59
FESTUSA *barbata*	101	62
AGROSTIS *miliacea suffrutescens*	102 et 103	64

TETRANTHERIA MONOSTYLIA.

TEUCRIUM *polium Lusitanicum*	104	66
——— *capitatum Lusitanicum*	105	68
——— *Lusitanicum salviastrum*	106	71
——— *scordium lanuginosum*	107	73
AJUGA *Iva heterantha*	108	75
STACHYS *Lusitanica*	109	78

	Tab.	Pag.
MARRUBIUM *cinereum*	110	81
BALLOTA *vulgaris*	111	83
NEPETA *multibracteata*	111	87
ORIGANUM *vulgare virens*	112	89
——— *creticum macrostachyum*	113	91
LAVANDULA *viridis*	114	93
SIDERITIS *linearifolia*	115	95
THYMUS *albicans*	116	97
——— *capitellatus*	117	99
——— *cephalotos*	118	101
——— *villosus*	119	102
——— *glabratus*	120	103
——— *zygis silvestris*	121	105
——— *zygis variabilis*	122	107
EUPHRASIA *aspera*	123	109
——— *tenuifolia*	124	111
ANTIRRHINUM *maius latifolium*	125	113
——— *meionanthum*	126	115
——— *calycinum*	127	117
——— *spurium integrifolium*	128	119
——— *lanigerum*	129	120
——— *sparteum*	130	122
——— *præcox*	131	123
——— *virgatulum*	132	125
——— *saxatile*	133	127
——— *glutinosum*	134	129
——— *linogriseum*	135	131
——— *sapphirinum*	136	133
——— *amethysteum*	137	135
——— *polygalæfolium*	138	136
——— *pyrenaicum*	139	137
——— *glaucophyllum*	140	138
——— *diffusum*	141	139
——— *multipunctatum*	142	140
ANARRHINUM *bellidifolium*	143	142
——— *Duriminium*	144	144
OROBANCHE *barbata*	142	146
——— *fœtida Lusitanica*	145	149
——— *ramosa*	145	152
RHINANTHUS *trixago*	146	154
SCROPHULARIA *sublyrata*	147	158
——— *Herminii*	148	158
DIGITALIS *purpurea tomentosa*	149	159
——— *thapsi*	150	161
URTICA *caudata*	151	163

PENTANTHERIA MONOSTYLIA.

	Tab.	Pag.
VERBASCUM *crassifolium*	152	166
——— *macranthum*	153	168
——— *blattarioides*	154	169
LITHOSPERMUM *fruticosum*	155	171
ANCHUSA *Italica*	156	173
——— *undulata*	157	175
CYNOGLOSSUM *clandestinum*	158	177
——— *pictum*	159	179
RUBIA *silvestris*	160	181
ACARNA *gummifera*	161	183
BALSAMITA *annua*	162	186
ANACYCLUS *aureus*	163	188
INULA *viscosa*	164	190

PENTANTHERIA DISTYLIA.

CUSCUTA *Europæa barbuvea*	165	192
ERYNGIUM *amethystinum dilatatum*	166	194
SELINUM *peucedanoides*	167	196
DAUCUS *halophilus*	168	198
ATHAMANTA *Turbith*	160 et 170	200

HEXANTHERIA MONOSTYLIA.

SISYMBRIUM *Catholicum*	171	202
SINAPIS *incana*	172	205
HYACINTHUS *serotinus*	89	207
ALYSSUM *collinum*	180	209
COLCHICUM *Lusitanum*	173 et 174	211

OCTANTHERIA MONOSTYLIA.

POLYGALA *microphylla*	175	214
——— *Monspeliaca*	176	216

DECANTHERIA MONOSTYLIA.

ONONIS *Hispanica*	177	218

DECANTHERIA PENTASTYLIA.

SEDUM *Lusitanum*	187	220

POLYANTHERIA MONOSTYLIA.

	Tab.	Pag.
MALVA *mauritiana*	179	223
LAVATERA *silvestris*	179	225

POLYANTHERIA POLYSTYLIA.

RANUNCULUS *dimorphorhizus*	180	227
——— *adscendens*	181	229

INDEX SYNONYMORUM.

A

Absinthium *corymbiferum* Pag. 186
Agrostis *comosa* 65
— *melanosperma* ibid.
Alectorolophos 154
Alyssum *montanum* 209
Anarrhinum *hirsutum* 144
Anchusa *angustifolia* 171
— *lignosior frutescens* ibid.
— *Officinalis* 173
Anonis *hispanica* 218
Anthemis *chrysanthemum* 188
Antirrhinum *bellidifolium* 142 - 144
— *bipunctatum* 134
— *incarnatum* 131
— *junceum* 123
— *latifolium* 113
— *minus et medium* 117
— *molle* 115
— *saxatile* 129
— *sparteum* 123
Anthyllis *altera* Clusii 75
Atractylis *gummifera* 183

B

Ballota, s. Ballote 83 - 84
— *alba*, s. *flore albo* 84
— *fœtida* 83
— *nigra* ibid.
Blattaria *flore maximo* 169
Bromus *incrassatus* 59
— *rigens* 57
Buglossum *fruticosum* 171
— *Lusitanicum et marinum* 175
— *vulgare et angustifolium* 173

C

Carduus *pinea* Theophrasti 183
Carlina *acaulos gummifera* 183
Carthamus *gummiferus* 183
Chamædrys *fruticosa Lusitana* 71
Chamæiris *latifolia Lusitana* 47
Chamæleon *albus* Dioscoridis 183
Chamæmelum *capite aphyllo* 188
Chamæpitys 75
Cirsellium *gummiferum* 183
Cnicus *gummifer acaulos* 183
Colchicum *flore tesselato* 211
Conyza *maior* 190
Crocus *autumnalis ericetorum* 40
— *montanus* ibid.
— *serotinus*, *etc.* ibid.
— *nudiflorus* 43
Cynoglossa *altera Lusitana* 177
Cynoglossum *creticum* 179
— *Officinale*, uti varietas 177

D

Dactylis *cylindracea* 54
Digitalis *linifolia Lusitanica* 10
— *flore purpureo et albo* 159
— *tomentosa* ibid.
— *verbasci folio* 161

E

Elatine 119
Eliochryson, s. Elichryson Vid. Heliochrysum.
Erigeron *viscosum* 190
Eriostomum *Lusitanicum* 78
Eruca *pumila* 202
Eryngium *dilatatum* 194
— *flore cœruleo* ibid.
— *trifidum minus* ibid.
Erysimum *flore albo* 205
Euphrasia *linifolia* 111

F

Festuca *avenacea* 59
— *ciliata* 62
— *cristata* 54
— *geniculata* 59
— *stipoides* ibid.

G

Gramen *alopecuroides et alopecurum* 54 - 57
Gramen Festuca *avenacea* 59
— *maritimum*, *etc.* 51
— *phœnix ramosa* ibid.
— *sparteum spicatum* ibid.
— *typhoides molle* 54
Gratiola *officinalis*, ut varietas 10
— alia *Lusitana* ibid.

H

Heliochrysum 186
Horminum *silvestre* 3 - 6
Hyacinthus *poetarum latifolius* 44
— *obsoletior hispanicus* 207

I

IRIS *alata* 44
— *biflora* 47
— *bulbosa latifolia* 44
— *humilis latifolia* 47
— *microptera* 44 - 46
— *patula* 46
— *scorpioides* 44 - 46
— *Transtagana* 44
— *vulgaris Lusitanica* 47

L

Lachenalia *serotina* 207
Laserpitium *peucedanoides* 196
Lasiopera *aspera* 109
— *tenuifolia* 111
— *rhinanthina* 154
Linaria *amethystea* 134
— *dealbata* 120
— *diffusa* 139
— *folio Bellidis* 142 - 141
— *glaucophylla* 138
— *glutinosa* 129
— *juncea* 123
— *lanigera* 119 - 120
— *Linogrisea* 131
— *meonantha* 125
— *multipunctata* 140
— *polygalæfolia* 136
— *præcox* 123
— *pumila* 131
— *pyrenaica* 137
— *sapphirina* 133
— *saxatilis* 127
— *spartea* 122

M

Milium *paradoxum* 65
Malva *silvestris* 225
— *glabra* 224
Marrubiastrum 83
Marrubium *Dictamni foliis* 81
— *nigrum* 83 - 84
Moscharia *asperifolia* 75

N

Nepeta *violacea* 87

O

Ononis *crispa* 218
— *non spinosa flore luteo* ibid.
Ophrys *arachnites* 27 - 33
— *bombyliifera* 35
— *insectifera* rosea 27
— *myodes* 36
Orchis *fucum referens* 33
— *globosa* 23
— *lactea et O. acuminata* 24
— *odore hirci* 19
— *palmata latifolia* 25
— *rubra* 17
— *sesquipedalis* 25
— *simia* 13
— *tephrosanthos* ibid.
Origanum *macrostachyum* 91
— *virens* 89
Orobanche *gracilis* 146
— *flore ruberrimo* 149
— *Lusitanica* ibid.
— *maior et minor* 146

P

Pedicularis *Lusitanica* 111
Poa *cristata*, et *phleoides* 54
Polium *Lusitanicum* 66 - 68

Polium *montanum supinum* 66
— *mont. tenuifolium* 68
Polygala *coloris obsoleti* 216
— *Lusitana* 214

R

Ranunculus *latifolius maior* 229

S

Salvia *æthiopis* 6
— *polymorpha* 3
— *verbenacoides* ibid.
Santolina *corymbifera* 186
Satyrium *diphyllum* 21
Scilla *serotina* 207
Sclarea *Lusitanica* 6
Scrophularia *ebulifolia* 156
— *lyrata* ibid.
Sedum *fruticulosum* 220
Seseli *turbith* 200
Solidago *viscosa* 190
Stachys *germanica* 78
— *intermedia* ibid.
Stæchas *viridis*, et aliæ 93

T

Tanacetum *annuum* 186
Teucrium *album* 68
— *Iva* 75
— *lanuginosum* 73
— *Lusitanicum* 68
— *pseudohyssopum* 70
— *pychnophyllum* ibid.
— *salviastrum* 71
— *valentinum* 70
Thymus *Lusitanicus* 102
— *Lusit. cephalotos* 99
— *serpillum* 103
— *silvestris* 105
— *variabilis* 107
Tragoriganum 101
Triticum *junceum* 51

U

Verbascum *viscidulum* 169
Veronica *teucrium* 8
— *micrantha* ibid.
Virga *aurea maior* 190
Urtica *Lusitana* 163

NOMINA VULGARIA

Aliquarum stirpium in hoc Tom. II. descriptarum.

Açafrão bravo Pag. 40
Barba das uvas 192
Blattaria maior 169
Bruco 196
Buglossa do Reino 173
— *ondeada* 175
Cardo do visco, ou C. matacão 183
Cardo pinto gommoso, ou branco ibid.
Carlina gommosa 183
Colchico 211
Cynoglossa de flor fechada 177
— *de flor listrada* 179
Dedaleira, ou Digital 159
Escordio 73
Fiadeira das barbas das uvas 192
Flor dos rapazinhos, ou dos macaquinhos dependurados 12
Graciosa do Reino 10
Grança brava 181
Herva bezerra 113
— *borboleta* 17
— *crina* 75
— *das sete sangrias* 171
— *pinheira enxuta* 220
— *porsobeja* 19
— *toira barbuda* 146
— *toira denigrida* 149
— *toira ramosa* 152
Jacintho do tarde 207
Joina dos matos 218
Joina das searas 185
Iva moscada 75
Lirio cardeno, ou roixo ordinario 47
Lingua de vacca do Reino 173
Macella fedegosa 186
— *gallega miuda* ibid.
— *gallega vulgar* 188
Malva alta 225
Marroio negro 83
Ouregão ordinario 89
— *longal* 91
Polio montano 66
Raspalingua 181
Rosmaninho verde 93
Ruiva brava 181
Salva de inverno 3
— *larga* 6
Sargaça hispida 171
Serpão glabro 103
— *dos montes* 107
Taqueda de Dioscorides 190
Teucrio capitoso 68
Tomilho alvadio 97
— *cabeçudo* 101
— *pelludo* 102
Veronica teucrieta 8
Urtiga de caudas 163

NOMINA VULGARIA

Altera quarundam stirpium in Tomo 1. descriptarum.

Alcarnache	Pag. 15	*Morraça*	13
Almeirôa	57	*Putegas*	122
Baracejo	18	*Rhapontico, ou Rhapontis da*	
Embude	74	*terra*	69
Escalracho da aréa	15	*Saxifraga da Reino*	80
Feno de cheiro amargoso	11	*Tojo gadanho*	133
Herva vespa	6	—— *mollar*	130
Hypocisto	122	*Tomilho de Creta*	27
Leite de gallinha	105	*Tormentelo*	26

INDEX ALPHABETICUS

Plantarum, quæ in hoc Tomo Secundo descripta sunt.

	Pag.	Tab.
ACARNA *gummifera*	183	161
AGROSTIS *miliacea suffrutescens*	64	102 et 103
AJUGA *Iva heterantha*	75	108
ALYSSUM *collinum*	209	180
ANACYCLUS *aureus*	188	163
ANARRHINUM *bellidifolium*	142	143
——— *Duriminium*	144	144
ANCHUSA *Italica*	173	156
——— *undulata*	175	157
ANTIRRINUM *amethysteum*	134	137
——— *calycinum*	117	127
——— *diffusum*	139	141
——— *glancophyllum*	138	140
——— *glutinosum*	129	134
——— *lanigerum*	120	129
——— *linogriseum*	131	132
——— *maius latifolium*	113	123
——— *meionanthum*	115	126
——— *multipunctatum*	140	142
——— *polygalæfolium*	136	138
——— *præcox*	123	131
——— *pyrenaicum*	137	139
——— *sapphirinum*	133	136
——— *saxatile*	127	133
——— *sparteum*	122	130
——— *spurium integrifolium*	119	128
——— *virgatulum*	125	132
ATHAMANTA *turbith*	200	169 et 170
BALLOTA *vulgaris*	83	111
BASAMITA *annua*	186	162
BROMUS *caudatus*	57	99
——— *cylindraceus*	54	98
——— *geniculatus*	59	100
COLCHICUM *Lusitanum*	211	173 et 174
CROCUS *autumnalis multifidus*	40	94
CUSCUTA *Europæa barbuvea*	192	165
CYNOGLOSSUM *clandestinum*	177	158
——— *pictum*	179	159
DAUCUS *halophilus*	198	168
DIGITALIS *purpurea tomentosa*	159	149
——— *thapsi*	161	150
ERYNGIUM *amethysteum dilatatum*	194	166
EUPHRASIA *aspera*	109	123

	Pag.	Tab.
EUPHRASIA *tenuifolia*	111	124
FESTUCA *barbata*	62	101
GRATIOLA *linifolia*	10	86
HYACINTHUS *serotinus*	207	89
INULA *viscosa*	190	164
IRIS *subbiflora*	47	96
—— *trialata*	44	95
LAVANDULA *viridis*	93	114
LAVATERA *silvestris*	225	179
LITHOSPERMUM *fruticosum*	171	155
MALVA *mauritiana*	223	179
MARRUBIUM *cinereum*	81	110
NEPETA *multibracteate*	87	111
ONONIS *hispanica*	218	177
OPHRYS *apifera subterrostrunca*	32	90
——— *aurita*	34	91
——— *corniculata*	38	93
——— *fusca*	36	93
——— *labrofossa*	29	88
——— *tenthredinifera*	27	87
ORCHIS *conica*	23	91
——— *cordata*	21	90
——— *coriophora symphypetala*	19	89
——— *latifolia labrovaria*	25	92
——— *longicruris*	12	87
——— *papilionacea rubra*	17	88
ORIGANUM *Creticum macrostachyum*	91	113
——— *vulgare virens*	89	112
OROBANCHE *barbata*	146	142
——— *fœtida Lusitanica*	149	145
——— *ramosa*	152	146
POLYGALA *microphylla*	214	175
——— *Monspeliaca*	216	175
RANUNCULUS *adscendens*	229	181
——— *dimorphorhizus*	227	180
RHINANTHUS *trixago*	154	146
RUBIA *silvestris*	181	160
SALVIA *hiemalis*	3	83
——— *patula*	6	84
SCROPHULARIA *Herminii*	158	148
——— *sublyrata*	156	147
SEDUM *Lusitanicum*	220	178
SELINUM *peucedanoides*	196	167
SIDERITIS *linearifolia*	95	115
SINAPIS *incana*	205	172
SISYMBRIUM *catholicum*	202	171
STACHYS *Lusitanica*	78	109
TEUCRIUM *capitatum Lusitanicum*	68	105

	Pag.	Tab.
TEUCRIUM *scordium lanuginosum*	73	107
——— *Lusitanicum salviastrum*	71	106
——— *polium Lusitanicum*	66	104
THYMUS *albicans*	97	116
——— *capitellatus*	99	117
——— *cephalotos*	101	118
——— *glabratus*	103	120
——— *villosus*	102	119
——— *zygis silvestris*	105	121
——— *zygis variabilis*	107	122
TRITICUM *litoreum*	51	97
VERBASCUM *blattarioides*	169	154
——— *crassifolium*	166	152
——— *macranthum*	168	153
VERONICA *Lusitana*	8	85
URTICA *caudata*	163	151

EXPLICATIO

TABULARUM HUJUS TOMI SECUNDI.

TAB. 83.

SALVIA *hiemalis* pag. 3.

(1) Una ex superioribus bracteis; (2) flos; (3) corolla; (4) calyx; (5) ejusdem labia sejuncta; (6) stylus et stigma cum germine minimo inter labia calycis inferne dissecta.

TAB. 84.

SALVIA *patula* pag. 6.

(a) Flos; *(b)* calyx cum pistillo; *(c)* unum ex duobus staminibus cum pedicello latissimo, cui adhæret, lente visum; *(d)* bractea.

TAB. 85.

VERONICA *Lusitana* pag. 8.

(a) Flos; *(b)* calyx cum pistillo auctus; *(c)* corolla cum staminibus aucta; *(d)* calyx cum capsula, prout in istius plena maturitate augescere solet.

TAB. 86.

GRATIOLA *linifolia* pag. 10.

(a) Flos; *(b)* calyx cum stylo et stigmate; *(c)* corolla; *(d)* eadem longitudinaliter fissa et aperta cum staminum filamentis.

TAB. 87.

ORCHIS *longicruris* pag. 12.

Fig. 1. Planta ad naturam expressa, suis cum radicibus, foliis, caule et spica florente. (1) Una ex bracteis apice erosa; (2) alia apice acuta; (3) nectarii labium inferius, corollæque petala conniventia, insimul et bractea acuta sub germine; (4) flos á fronte visus, petalis de industria expansis.

OPHRYS *tenthredinifera* pag. 27.

Fig. 2. Planta suis cum radicibus, foliis, caule et floribus magnitudine naturali. *(a)* Flos; *(b)* nectarii labia antice visa, cum staminibus; *(c)* nectarii labium inferius postice visum.

TAB. 88.

ORCHIS *papilionacea rubra* pag. 17.

Fig. 1. Planta suis cum radicibus, caule, foliis et floribus ad naturam expressis. *(a)* Flos á fronte visus, petalis de industria expansis; *(b)* flos á latere visus, petalis erectis et laxe conniventibus.

OPHRYS *labrofossa* pag. 29.

Fig. 2. Planta cum suis tribus bulbis radicalibus et aliis partibus magnitudine naturali. N.° 1. Flos é latere visus insimul cum bractea pedicellum minimum germinis amplexante; (2) corolla cum nectario á fronte visa; (3) nectarium cum antheris et pistillo, absque corolla; (4) labium nectarii inferius tripartitum, posticè delineatum, ut sic ejusdem lacinia media margines suos revolutos fossulamque sub apice in conspectum det; (5) idem cum fossula sub apice, et laciniæ mediæ lateribus de industriâ expansis.

TAB. 89.

HYACINTHUS *serotinus* pag. 207.

(a) Scapus; *(b)* racemus. N.° 1. Corolla ad naturam expressa cum bractea sub pedicello minimo; (2) corolla erectis et disjunctis laciniis observata; (3) eadem longitudinaliter fissa et expansa cum staminibus; (4) pistillum.

ORCHIS *coriophora symphypetala* pag. 19.

Fig. 1. Flos cum bractea á latere visus; (2) idem á fronte visus; (3) petala tria exteriora; (4) labium superius nectarii cum staminibus elasticè exertis.

TAB. 90.

ORCHIS *cordata* pag. 21.

Fig. 1. Planta ad naturam expressa. *(a)* Flos cum bractea á latere visus; *(b)* idem á fronte visus; *(c)* capsula.

OPHRYS *apifera subterrostrunca* pag. 32.

Fig. 2. Planta magnitudine naturali. *(a)* Flos á latere visus cum bracteâ; *(b)* nectarii labia á fronte visa, cum duobus petalis minoribus inter ipsa adjunctis; *(c)* labium nectarii inferius quinquelobum, omnibus lobulis de industriâ expansis; *(d)* unus ex duobus lobulis, ad ejusdem nectarii faucem sitis, parum auctus.

TAB. 91.

ORCHIS *conica* pag. 23.

(a) Flos á latere visus cum bractea; *(b)* idem á fronte visus.

OPHRYS *aurita* pag. 34.

(a) Flos á fronte visus; *(b)* idem á latere visus; *(c)* nectarii labium inferius trilobum de industria expansum, et posticè visum; *(d)* unus ex duobus lobulis lateralibus ad ejusdem labii basin.

TAB. 92.

ORCHIS *latifolia labrovaria* pag. 25.

Fig. 1. Plantæ radix palmata: Fig. 2. pars caulis cum foliis. Fig. 3. Spica florum. *(a)* Flos á latere visus cum bractea; *(b)* flos á fronte visus, in hujus labio inferiore nectarii lobulus intermedius obtusus ac edentulus est; *(c)* idem, cum lobulo intermedio labii inferioris nectarii dentato; *(d)* idem, in quo labium nectarii inferius duobus lobulis brevissimis, cum emarginatura minima inter ipsos, terminatur.

TAB. 93.

OPHRYS *fusca* pag. 36.

Fig. 1. Planta ad naturam expressa, cum radicibus, caule, foliis et spica. (A) Bractea; *(b)* flos á latere visus; *(c)* pistilli germen sub fauce nectarii, ac sub istius labio superiore, quo antheræ teguntur; (C) idem et alia valde aucta; *(d)* una ex duabus antheris valde aucta, glandulæ imposita; *(e)* granula pollinis uni ex ramulis ejusdem antheræ affixa, valde aucta.

OPHRYS *corniculata* pag. 38.

Fig. 2. Planta naturali magnitudine, cujus flos infimus á fronte, et alius superior quasi á latere sese in conspectum prodit.

TAB. 94.

CROCUS *autumnalis multifidus* pag. 40.

Fig. 1. Planta, cum uniflora est, ad naturam expressa: *(a)* bulbus subterpositus tunicatus, atque vaginæ quinque radicales extrafoliaceæ; *(bb)* folia; *(c)* spatha corollæ tubum cingens. Fig. 2. Corollæ limbus expansus, tubusque ad faucem longitudinaliter fissus, ut stamina et stigmata cum stylo ibique sese clarè in conspectum dent. Fig. 3. Una ex laciniis petaloideis, cui stamen adhæret.

Fig. 4. Planta triflora, omnibus suis vaginis radicalibus, tam extra

quàm intrafoliaceis, detractis; *(aa)* bulbus subterpositus tunicis suis siccis denudatus; *(bb)* bulbus novus basibus tantùm foliorum tectus; *(cc)* folia, prout é vaginis radicalibus egressa reflecti solent; *(dd)* spathæ tres é germinum basibus exortæ, quæ eadem corollasque cingunt; *(e)* una ex illis, quæ corollæ tubum, nec limbum, cingit; *(ff)* duæ alteræ, quæ corollas penitus contegunt. Fig. 5. Folii frustulum transversè dissecti valde auctum.

Fig. 6. Planta biflora, omnibus vaginis radicalibus extrafoliaceis detractis, visa; *(aa)* bulbus subterpositus denudatus et verticaliter sectus; *(b)* bulbus novus squamis cinctus; *(cc)* folia duo intra medium secta; *(dd)* vaginæ duæ intrafoliaceæ; *(ee)* scapi; *(ff)* spathæ usque ad germinum basin fissæ; *(gg)* germina corollis denudata; *(hh)* styli; *(ii)* stigmata magnitudine naturali. Fig. 7. Stigmata valde aucta.

Fig. 8. Tunicæ interiores, quæ bulbi subterpositi lineolis circinatis adhærebant, dimidiatim dissectæ, expansæ, parumque auctæ. Fig. 9. Idem bulbus, in quo, detractis tunicis, lineolæ circinatæ, cavitas centralis, tres bulbuli ad ejus latera adnati, radiculæ in basi et sub istâ nonnullæ laminæ nigricantes, seu veteres bulbi exsucci, ostenduntur. Fig. 10. Una ex prædictis laminis inferioribus. Fig. 11. Alia eidem bulbo vivo immediate supposita, cujus centro sedes funiculi umbilicalis ad veterem bulbum ultimum exsuccum attinentis, conspicitur. Fig. 12. Idem bulbus subterpositus dimidiatim sectus, ut ejus cavitas centralis superior, ubi novus bulbulus præformari solet, insimul et alia inferior cavitas, in qua funiculus umbilicalis brevis siccus bulbi exsucci continetur, in conspectum veniat. Fig. 13. Idem cum suo bulbulo germinante.

Fig. 14. Capsula matura. Fig. 15. Eadem transversè dissecta. Fig. 16. Semina.

Tab. 95.

IRIS *trialata* pag. 44.

Fig. 1. Planta ad naturam expressa, cum duobus novis bulbulis (fig. 3, 4) é bulbi centralis basi exortis. Fig. 2. Eadem, ut sæpius occurrit, cum cauliculo subterraneo, foliis (quorum bases hic tantùm exprimuntur) vaginato, tribusque brevibus pedunculis et floribus tribus terminato.

(a) Una ex tribus corollæ laciniis maioribus; *(b)* alia ex tribus minoribus; *(c)* stigmata tria petaloidea, antheris incumbentia; *(d)* unum ex ipsis cum superiore labio in rectum ducto; *(e)* corollæ tubus filiformis, stylo coalitus, germinis apici cum illo adhærens; *(f)* capsula; *(g)* eadem transverse secta, insimulque una ex valvulis ejus longitudinaliter detracta, ut seminum dispositio cernatur; *(h)* semen.

Tab. 96.

IRIS *subbiflora* pag. 47.

Fig. 1. Planta florens ad naturam expressa; fig. 2, pars suprema caulis cum duobus floribus clausis; fig. 3, una ex tribus corollæ laci-

niis externis barbatis; fig. 4, alia ex tribus internis erectis; fig. 5, stigmata tria petaliformia antheris incubita, et stylus tubo corollæ coalitus, germinisque apici cum illo affixus; item spathæ unum tertium minimum foliolum in axilla secundi superioris situm; fig. 6, capsula; fig. 7, eadem transverse secta, ubi loculi cum seminibus sese in conspectum dant.

TAB. 97.

TRITICUM *litoreum* pag. 51.

Fig. 1. Radix et culmi cum foliis. Fig. 2. Spica terminalis.

(a) Spicula; *(b)* gluma calycina; *(c)* corolla bivalvis; *(d)* unius flosculi valvula interior corollæ, nectarium, stamina, et pistillum; *(e, f)* semen ab uno latere unisulcatum, ab altero convexum, basi acutum.

TAB. 98.

BROMUS *cylindraceus* pag. 54.

(a) Spicula sexflora naturali magnitudine; (A) eadem aucta; *(b)* alia octoflora, quæ raro occurrit; (B) eadem aucta; *(c)* gluma calycina; (C) eadem aucta; *(d)* spicula sexflora absque gluma calycina, in duobus flosculis infimis corollæ valvulæ ostenduntur apertæ; (D) eadem aucta; *(e)* unius flosculi nectarium, stamina, et pistillum; (E) eadem aucta; *(f)* semen.

TAB. 99.

BROMUS *caudatus* pag. 57.

(A, B) Paniculæ duæ antequam florescant; (C, D) Paniculæ duæ alteræ in anthesi; (E) alia post anthesin contracta; (F) folii ligula; (G) paniculæ ramus unus compositus; (H) paniculæ ramutus unus partialis; *(i)* spicula triflora magnitudine naturali; (I) eadem aucta; *(l)* spicula altera quadriflora; (L) eadem aucta; *(m)* gluma calycina; (M) eadem aucta; *(n)* corolla bivalvis; (N) eadem aucta; *(o)* unius flosculi nectarium, stamina et pistillum; (O) eadem parum aucta.

TAB. 100.

BROMUS *geniculatus* pag. 59.

Fig. 1. Planta ad naturam expressa; (fig. 2, 3) paniculæ duæ in anthesi; (fig. 4, 5, 6) paniculæ tres, plus minusve post anthesin contractæ.

(a) Folii ligula; *(b)* paniculæ ramus; *(c)* spicula naturali magnitudine; (C) eadem aucta; *(d)* spicula cum suis quatuor flosculis rachi laxe adhæsis; (D) eadem aucta; *(e)* gluma calycina; (E) eadem aucta; *(f)* corolla bivalvis; (F) eadem aucta; *(g)* unius flosculi nectarium, stamina, et pistillum; (G) eadem parum aucta; *(h)* semen corollâ arcte clausum; *(i, l)* idem ab uno latere unisulcatum, ab altero convexum.

TAB. 101.

FESTUCA *barbata* pag. 62.

(N. 1, 2, 3, 4) Racemi quatuor, in anthesi plus minusve laxi; (5, 6) alteri prout contrahuntur post anthesin et ante illam.

(a) Spicula; *(b)* eadem laxatis flosculis; *(c)* gluma calycina; *(d)* unus flosculus; *(e)* ejusdem nectarium, stamina, et pistillum.

TAB. 102.

AGROSTIS *miliacea suffrutescens* (A) pag. 64.

Fig. 1. Culmi plures, prout ex eodem cespite prodire solent. Fig. 2, 3, paniculæ sicuti ante et post anthesin contrahuntur.

TAB. 103.

AGROSTIS *miliacea suffrutescens* (B) pag. Ibid.

Panicula in anthesi ad naturam expressa. *(a)* Paniculæ ramulus; *(b)* unus ex flosculis inapertus, naturali magnitudine; (B) idem auctus; *(c)* ipsius flosculi dum aperti gluma calycina et corolla naturali magnitudine; (C) eædem valde auctæ; *(d)* corolla cum staminibus et pistillo; (D) eadem aucta; *(e)* pistillum cum nectario; (E) eadem aucta; *(f)* unum ex duobus nectarii foliolis; (F) idem auctum; *(g)* semen; (G) idem auctum.

TAB. 104.

TEUCRIUM *polium Lusitanicum* pag. 66.

N. 1. Flos; (2) calyx cum pistillo, et bractea ad basin; (3) idem auctus; (4) corolla cum staminibus magnitudine naturali; (5) eadem aucta.

TAB. 105.

TEUCRIUM *capitatum Lusitanicum* pag. 68.

Fig. 1. Planta ad naturam expressa. Fig. 2, 2, capitula florum in summitate caulium quasi paniculata.

(aa) Folia caulina opposita, infernè visa; *(b)* eadem superna facie visa; *(c)* folia in axillis fasciculata; *(d)* flos; *(e)* calyx cum bractea ad basin; (E) idem auctus; *(f)* corolla cum staminibus; (F) eadem aucta.

TAB. 106.

TEUCRIUM *Lusitanicum salviastrum* pag. 71.

(*a*) Flos; (*b*) ejusdem calyx cum pistillo auctus; (*c*) corolla cum staminibus parum aucta; (*d*) folium bracteæforme sub supremis flori-

bus; (*e*) folium ex inferioribus et maioribus supernè visum; (*f*) idem infernâ facie expectatum.

TAB. 107.

TEUCRIUM *scordium lanuginosum* pag. 73.

(*a*) Flos a latere visus; (*b*) calyx cum pistillo auctus; (*c*) corolla cum staminibus parum aucta. In ramulo separato (*) folia naturali, qua sæpe occurrunt, magnitudine expromuntur.

TAB. 108.

AJUGA *Iva heterantha* pag. 75.

(*a*) Flos, prout inapertus florescere solet; (*b*) calyx apertus, corollam tamen et genitalia omnino recondens; (*c*) idem longitudinaliter scissus et expansus; (*d*) corolla genitalia tegens; (D) eadem simul cum genitalibus aucta; (*e*) pistilli germina quatuor, corollâ denudata, cum stylo et stigmatibus, quorum apici antheræ quatuor cruciatim impositæ sunt; (E) eadem aucta; (*f*) stylus cum duobus stigmatibus magnitudine naturali; (F) idem auctus; (*g*) antheræ stigmatibus approximatæ, adauctæ uti quoque stylus; (*h*) antheræ parum auctæ et seorsim visæ; (*i*) semina, prout in fundo calycis maturescunt; (*l*) eadem sejunctim observata; (*m*) corolla sicca, in quatuor lacinias cruciformes divisa, prout á seminibus maturis separari solet.

(*n*) Calyx, corolla, et genitalia in flore aperto; (*o*) corolla; (*p*) germina quatuor cum stylo, stigmatibus, insimul et calyce longitudinaliter scisso atque expanso; (*q*) semina matura.

TAB. 109.

STACHYS *Lusitanica* pag. 78.

Planta cum sua spica terminali. (*a*) Flos; (*b*) calyx cum bractea ad ejus latus; (*c*) calyx longitudinaliter scissus et expansus; (*d*) corolla; (*e*) calyx á latere visus; (*f*) pistillum.

TAB. 110.

MARRUBIUM *cinereum* pag. 81.

(*a*) Flos; (*b*) calyx cum pistillo; (*c*) corolla cum staminibus; (*d*) bractea.

TAB. 111.

BALLOTA *vulgaris* pag. 83.

Fig. 1. Caulis pars superior florens.

(*a*) Calyx, et bractea ad ejus basin; (*b*) idem longitudinaliter scissus et expansus; (*c*) flos á fronte visus; (*d*) corollæ labium inferius a

UNIVERSIDAD DE GRANADA Hospital Real Biblioteca

superiore separatum, cum staminibus, et particula tubi intus villosa; (*e*) pistillum; (*f*) semina.

NEPETA *multibracteata* pag. 87.

Fig. 2. Pars caulis superior florens.

(*a*) Bractea; (*b*) flos; (*c*) calyx cum pistillo aucto; (*d*) corolla cum staminibus aucta.

TAB. 112.

ORIGANUM *vulgare virens* pag. 89.

(*a*) Flos magnitudine naturali; (*b*) calyx cum pistillo auctus; (*c*) corolla cum staminibus aucta; (*d*) bractea aucta.

TAB. 113.

ORIGANUM *creticum macrostachyum* pag. 91.

(*a*) Fos magnitudine naturali; (*b*) calyx cum pistillo auctus; (*c*) corolla cum staminibus aucta; (*d*) bractea aucta.

TAB. 114.

LAVANDULA *viridis* pag. 93.

(*a*) Flos naturali magnitudine; (*b*) calyx valde auctus; (*c*) corolla aucta; (*d*) bractea.

TAB. 115.

SIDERITIS *linearifolia* pag. 95.

(*a*) Bractea; (*b*) flos; (*c*) calyx auctus; (*d*) corolla.

TAB. 116.

THYMUS *albicans* pag. 97.

(*a*) Flos naturali magnitudine; (*b*) calyx cum pistillo auctus; (*c*) idem longitudinaliter fissus et expansus; (*d*) corolla cum staminibus aucta; (*e*) folium; (*f*) bractea.

TAB. 117.

THYMUS *capitellatus* pag. 99.

(*a*) Flos ad naturam expressus; (*b*) calyx cum pistillo auctus; (*c*) idem longitudinaliter fissus et expansus; (*d*) corolla cum staminibus aucta; (*e*) bractea; (*f*) folium.

TAB. 118.

THYMUS *cephalotos* pag. 101.

(*a*) Fos naturali magnitudine; (*b*) calyx cum pistillo auctus; (*c*) idem longitudinaliter fissus et expansus; (*d*) corolla cum staminibus aucta; (*e*) bractea; (*f*) folium.

TAB. 119.

THYMUS *villosus* pag. 102.

(*a*) Bractea; (*b*) folium; (*c*) flos magnitudine naturali; (*d*) calyx cum pistillo auctus; (*e*) idem longitudinaliter fissus et expansus; (*f*) corolla cum staminibus aucta.

TAB. 120.

THYMUS *glabratus* pag. 103.

(*a*) Flos magnitudine naturali; (*b*) calyx cum pistillo auctus; (*c*) idem verticaliter scissus et expansus; (*d*) folium sub floribus capitatis parum auctum; (*e*) corolla cum staminibus aucta.

TAB. 121.

THYMUS *zygis silvestris* pag. 105.

(*a*) Flos naturali magnitudine; (*b*) calyx cum pistillo auctus; (*c*) corolla cum staminibus aucta; (*d*) calyx longitudinaliter fissus et expansus; (*e*) folium.

TAB. 122.

THYMUS *zygis variabilis* pag. 107.

(*a*) Flos ad naturam expressus; (*b*) calyx cum pistillo auctus; (*c*) idem verticaliter fissus et expansus; (*d*) corolla cum staminibus aucta.

TAB. 123.

EUPHRASIA *aspera* pag. 109.

Fig. 1. Caulis pars inferior; Fig. 2. ejusdem pars superior ramosa florifera.

(*a*) Flos magnitudine naturali; (*b*) calyx cum pistillo auctus; (*c*) corolla cum staminibus á latere visa, et valde aucta; (*d*) eadem fauce fissa, ut stamina labio superiore recondita clarius pateant; (*e*) bractea; (*f*) capsula parum aucta.

Tab. 124.

EUPHRASIA *tenuifolia* pag. 111.

(*a*) Flos naturali magnitudine; (*b*) calyx cum pistillo auctus; (*c*) corolla valde aucta, á latere visa; (*d*) eadem, fauce fissa, ut stamina clariùs sub labio superiore conspiciantur; (*e*) bractea.

Tab. 125.

ANTIRRHINUM *maius latifolium* pag. 113.

N. 1. Flos; (2) calyx cum pistillo; (3) corolla; (4) eadem longitudinaliter fissa, ut stamina cernantur; (5) capsula; (6) semina.

Tab. 126.

ANTIRRHINUM *meionanthum* pag. 115.

(*a*) Flos; (*b*) calyx cum pistillo; (*c*) corolla; (*d*) eadem verticaliter fissa, ut stamina conspiciantur; (*e*) capsula calyce persistente cincta, et stylo emarcido terminata; (*f*) semina; (*g*) semen unum cum scrobiculis suis nimis auctum.

Tab. 127.

ANTIRRHINUM *calycinum* pag. 117.

Fig. 1. Speciei individuum flores albos ferens. Fig. 2, 3, duo alia cum floribus violaceis aut cærulescentibus.

(*a*) Flos albus; (*b*) ejusdem corolla; (*c*) calyx cum pistillo; (*d*) corolla prædicta valde fissa, ut stamina conspiciantur; (*e*) flos violaceus, aut cæruleus.

Tab. 128.

ANTIRRHINUM *spurium integrifolium* pag. 119.

(*a*) Flos; (*b*) calyx; (B) idem cum pistillo auctus; (*c*) corolla aucta; (*d*) eadem fissa, ut stamina in conspectum veniant.

Tab. 129.

ANTIRRHINUM *lanigerum* pag. 120.

(*a*) Flos; (*b*) calyx cum pistillo parum auctus; (*c*) corolla parum aucta; (*d*) eadem fissa, et stamina prodens.

TAB. 130.

ANTIRRHINUM *sparteum* pag. 122.

(*a*) Flos magnitudine naturali; (*b*) calyx cum pistillo; (*c*) corolla; (*d*) eadem fissa, et stamina prodens; (*e*) capsula calyce persistente cincta; (*f*) semina; (*g*) semen unum nimis auctum.

TAB. 131.

ANTIRRHINUM *præcox* pag. 123.

(*a*) Flos naturali magnitudine; (*b*) calyx cum pistillo; (*c*) corolla; (*d*) eadem aucta, fissa, et stamina prodens; (*e*) capsula calyce cincta; (*f*) semina; (*g*) unum ex his valde auctum.

TAB. 132.

ANTIRRHINUM *virgatulum* pag. 125.

(*a*) Flos magnitudine naturali; (*b*) calyx cum pistillo auctus; (*c*) corolla aucta; (*d*) eadem fissa, et stamina prodens; (*e*) capsula aucta, calyce cincta; (*f*) semina; (*g*) unum ex his valde auctum.

TAB. 133.

ANTIRRHINUM *saxatile* pag. 127.

(*a*) Flos naturali magnitudine; (*b*) calyx cum pistillo parum auctus; (*c*) corolla aucta; (*d*) eadem fissa et stamina prodens.

TAB. 134.

ANTIRRHINUM *glutinosum* pag. 129.

(*a*) Flos ad naturam expressus; (*b*) calyx cum pistillo auctus; (*c*) corolla aucta; (*d*) eadem fissa et stamina prodens; (*e*) capsula calyce persistente cincta; (*f*) semina; (*g*) unum ex his cum suis scrobiculis valde auctum.

TAB. 135.

ANTIRRHINUM *linogriseum* pag. 131.

(*a*) Flos; (*b*) calyx cum pistillo; (*c*) corolla; (*d*) eadem aucta, fissa, et stamina prodens; (*e*) capsula calyce cincta; (*f*) semina; (*g*) unum ex his cum suis rugis valde auctum.

TAB. 136.

ANTIRRHINUM *sapphirinum* pag. 133.

(a) Flos; *(b)* calyx cum pistillo; *(c)* corolla; *(d)* eadem valde aucta, fissa, et stamina prodens; *(e)* capsula calyce cincta et aucta; *(f)* semina; *(g)* unum ex his valde auctum.

TAB. 137.

ANTIRRHINUM *amethysteum* pag. 134.

Fig. 1. Planta et Fig. 2. ipsius varietas bipunctata. *(a)* Flos naturali magnitudine; *(b)* calyx cum pistillo auctus; *(c)* corolla aucta; *(d)* eadem fissa, staminaque promens; *(e)* capsula calyce cincta; *(f)* semina; *(g)* unum ex his valde auctum.

TAB. 138.

ANTIRRHINUM *polygalæfolium* pag. 136.

(a) Flos; *(b)* calyx cum pistillo; *(c)* corolla; *(d)* eadem aucta, fissa, et stamina prodens.

TAB. 139.

ANTIRRHINUM *pyrenaicum* pag. 137.

(a) Flos naturali magnitudine; *(b)* calyx cum pistillo parum auctus; *(c)* eadem fissa, et stamina prodens.

TAB. 140.

ANTIRRHINUM *glaucophyllum* pag. 138.

(a) Flos naturali magnitudine; *(b)* calyx cum pistillo; *(c)* corolla; *(d)* eadem aucta, et fissa, ut stamina in conspectum veniant.

TAB. 141.

ANTIRRHINUM *diffusum* pag. 139.

(a) Flos naturali magnitudine; *(b)* calyx cum pistillo auctus; *(c)* corolla aucta; *(d)* eadem fissa, et stamina promens; *(e)* capsula calyce cincta, et stylo emarcido terminata; *(f)* semina; *(g)* unum ex his valde auctum.

TAB. 142.

OROBANCHE *barbata* pag. 146.

Fig. 1. Planta ad naturam expressa. *(a)* Flos simul cum bractea re-

curva; (*b*) calycis foliola duo bifida cum bractea; (*c*) ejusdem foliola duo indivisa, insimul et bractea; (*d*) corolla; *(e)* ejusdem pars inferior á superiore separata, et stamina patefaciens; *(f)* pistillum; *(g)* capsula; *(h)* eadem aperta.

ANTIRRHINUM *multipunctatum* pag. 140.

Fig. 2. Planta magnitudine, qua sæpissime occurrit. N.° 1. Flos cum bractea sub pedicello; (2) calyx cum pistillo; (3) corolla; (4) ejusdem labium inferius cum gibbo palati multipunctato; (5) idem intus maculatum; (6) labium superius; (7) corolla apertis labiis stamina prodens; (8) stamina aucta; (9) pistillum; (10) capsula calyce cincta; (11) eadem denticulatè dehiscens, ejusque dissepimentum; (12) semina; (13) unum ex his valde auctum.

TAB. 143.

ANARRHINUM *bellidifolium* pag. 142.

(a) Flos naturali magnitudine; *(b)* calyx cum pistillo parum auctus; *(c)* corolla aucta; *(d)* eadem, tubo longitudinaliter fisso laxatoque, stamina prodens.

TAB. 144.

ANARRHINUM *Duriminium* pag. 144.

(*a*) Flos ad naturam expressus; *(b)* calyx cum pistillo parum auctus; *(c)* corolla aucta; *(d)* eadem, tubo verticaliter fisso laxatoque, stamina promens.

TAB. 145.

OROBANCHE *ramosa* pag. 152.

Fig. 1. Planta, prout sæpe occurrit, caule ramoso. Fig. 2. ejusdem varietas, caule simplicissimo.

N. 1. Flos a latere visus, cum bracteis ad basin; (2) calyx cum tribus bracteis; (3) idem cum duabus tantùm bracteis, avulsa tertia, ut ipsius cavitas clarè in conspectum veniat; (4) corolla a latere visa; (5) eadem á fronte visa; (6) stamina, stylus, et stigmata; (7) capsula aperta, valvulis intus visis; (8) eadem clausa.

OROBANCHE *fœtida Lusitanica* pag. 149.

Fig. 1. Plantæ pars infima cum radice. Fig. 2; ejusdem pars superior cum spica. *(a)* Flos cum bractea ad basin; *(b)* calyx cum bractea; *(c)* calyx absque bractea visus; *(d)* calyx, prout in medio interdum rumpitur, et quasi bifolius redditur, illum ovario corollaque premente; *(e)* corolla; *(f)* stamina imo corollæ tubo (qui hìc in lamellæ formam protenditur) inserta, ibique singula binervia, biglandulosa; *(g)* pistillum cnm glandula in basi germinis; *(h)* capsula; *(i)* ejusdem valvulæ apertæ.

TAB. 146.

RHINANTHUS *trixago* pag. 154.

Fig. 1. Plantæ typus, quo sæpius occurrit. Fig. 2, varietas grandifolia, et caule altiori, ramosiori. Fig. 3, varietas nana. (A) Flos; *(b)* calyx cum pistillo; *(c)* corolla; *(d)* eadem é latere fissa, et stamina prodens; *(e)* unum é foliis floralibus inferioribus; *(f)* alterum ex superioribus; *(g)* capsula.

TAB. 147.

SCROPHULARIA *sublyrata* pag. 156.

Fig. 1. Plantæ pars inferior. Fig. 2, ejusdem pars suprema racemosa. Fig. 3. folium radicale. *(a)* Flos; *(b)* calyx cum pistillo parum auctus; *(c)* corolla aucta, á latere visa, *(d)* eadem á fronte visa; *(e)* capsula calyce persistente cincta.

TAB. 148.

SCROPHULARIA *Herminii* pag. 158.

(a) Flos; *(b)* calyx cum pistillo auctus; *(c)* corolla aucta, á latere visa; *(d)* eadem á fronte visa; *(e)* capsula infernè calyce persistente cincta, et aucta.

TAB. 149.

DIGITALIS *purpurea tomentosa* pag. 159.

(a) Flos cum minor; *(b)* calyx cum pistillo; *(c)* corolla cum minor fissa, et expansa, stamina podens; *(d)* bractea.

N. 1. Capsula submatura, calyci persistenti aperto insidens cum pedunculo et bractea sub ipso, superne stylo emarcido terminata; (2) capsula valvulis bifidis erectisque dehiscens; (3) eadem valvulis profunde bipartitis, patentibusque, prout aliquoties demum aperiri solet, insimul et seminum receptaculum in centro; (4) seminà.

TAB. 150.

DIGITALIS *thapsi* pag. 161.

(a) Calyx; *(b)* idem parum auctus cum pistillo; *(c)* corolla á latere visa; *(d)* eadem á fronte visa; *(e)* eadem fissa et expansa, ut stamina prodat; *(f)* capsula aucta et transverse secta, cum receptaculo lamellato seminum in centro.

TAB. 151.

URTICA *caudata* pag. 163.

Fig. 1. Speciei, cum dioica, individuum masculum. Fig. 2, ejus-

dem individuum fæmineum: Fig. 3, speciei, cum monoica, seu individui monoici pars caulis infima fæminea, quæ superiori masculæ unita consideranda (qualis illa Fig. 1.) Fig. 4, stipula tam dioicis quâm monoicis propria.

(a) Spica mascula; *(b)* flos masculus clausus; (B) idem auctus; *(c)* idem apertus et auctus, suis cum quatuor foliolis, staminibus, et pistilli rudimento; *(d)* stamina cum pistilli rudimento glanduloso, aucta; *(e)* una ex spicis fæmineis longioribus; *(f)* flos fæmineus; (F) idem auctus; *(g)* calycis foliola aucta; *(h)* germen suo cum stigmate sessili, villoso; (H) idem auctum; *(i)* semen; (I) idem auctum.

TAB. 152.

VERBASCUM *crassifolium* pag. 166.

(*a*) Flos; (*b*) calyx et pistillum; (*c*) corolla cum staminibus; (*d*) unum ex staminibus valde auctum; (*e*) bractea.

TAB. 153.

VERBASCUM *macranthum* pag. 168.

(*a*) Flos; (*b*) calyx cum pistillo; (*c*) corolla cum staminibus sibi affixis; (*d*) unum ex duobus filamentis basi tantummodo villosis, auctum; (*e*) aliud ex tribus omnino villosum, etiam auctum; (*f*) bractea, quæ sub floribus superioribus breviter decurrit.

TAB. 154.

VERBASCUM *blattarioides* pag. 169.

Fig. 1. Caulis pars superior; Fig. 2, spica terminalis. (*a*) Bractea; (*b*) flos; (*c*) corolla cum staminibus sibi affixis; (*d*) calyx cum pistillo; (*e*) unum ex duobus staminibus basi tantùm villosum, auctum; (*f*) aliud ex tribus brevioribus omnino villosum, etiam auctum; (*g*) capsula calyce persistente cincta; (*h*) eadem aucta, et transversè dissecta, cum dissepimento et seminum receptaculo fungoso.

TAB. 155.

LITHOSPERMUM *fruticosum* pag. 171.

(*a*) Flos; (*b*) calyx cum pistillo; (*c*) corolla; (*d*) eadem tubo fisso, ut stamina prodat.

TAB. 156.

ANCHUSA *italica* pag. 173.

(*a*) Calyx; (*b*) corolla fissa et expansa, squamas atque antheras promens; (*c*) ejusdem tubus scissus et expansus cum squamis pilosis in apice; (*d*) pistillum; (*ee*) semina.

TAB. 157.

ANCHUSA *undulata* pag. 175.

(*a*) Flos; (*b*) calyx cum pistillo; (*c*) corolla; (*d*) eadem fissa et expansa, squamulas atque stamina quinque faucis promens.

TAB. 158.

CYNOGLOSSUM *clandestinum* pag. 177.

(*) Plantæ pars infima; (**) ejusdem pars suprema florens. N. 1. Calyx et corolla in anthesi; (2) corolla, limbi laciniis introrsum flexis, prout in anthesi observatur; (3) eadem fissa et expansa, extus visa; (4) eadem intus observata cum squamulis et staminibus; (5) calyx hic de industria apertus, ut pistillum promatur; (6) semina matura parum aucta, insimul et calyx sub ipsis.

(a) Calyx reflexus sub seminum receptaculo in stylum persistentem desinente; *(b)* unum ex quatuor seminibus é latere exteriore visum cum suis aculeolis; *(c)* idem é latere interiore; *(d)* tres ex aculeolis apice uncinatis valde aucti; (*e*) semen decorticatum.

TAB. 159.

CYNOGLOSSUM *pictum* pag. 179.

Fig. 1. Plantæ pars inferior. Fig 2, ejusdem pars superior ramosa, racemosa. (*a*) Flos; (*b*) calyx; (*c*) idem auctus cum pistillo; (*d*) corolla; (*e*) eadem, tubulo fisso, expansa, et squamas staminaque in fauce promens; (*f*) semina quatuor nuculæformia, quorum duo dimidio decorticata, omnia receptaculo, in stylum persistentem desinenti, adhæsà.

TAB. 160.

RUBIA *silvestris* pag. 181.

N. 1. Folium ex inferioribus caulis postice visum; (2) flos; (3) ramus paniculæ fructiferus; (4) baccæ duæ coalitæ; (5) bacca monosperma, alià aboriente; (6) eadem cum semine et plantula seminali transverse secta; (7) eadem cum semine secta, plantula seminali tamen illæsa servata.

TAB. 161.

ACARNA *gummifera* pag. 183.

Fig. * Plantæ brevissimus scapus solitarius, foliis radicalibus contectus, et capitulo florifero terminatus. Fig. ** Capituli receptaculum carnosum, verticaliter dissectum, intus alveolos paleasque, extus calycis interioris squamas, promens. N. 1. Una ex bracteis, quibus calyx exterior obvallatur; (2) unum ex foliolis tricuspidatis calycis externi;

(3, 4) calycis interni squamæ inferiores et supremæ; (5) flos simul cum suo pappo in anthesi; (6) flos dempto pappo; (7) pistillum; (8) pappus explicatus, et prout in seminum maturitate; (9, *a*) corolla longitudinaliter fissa, (*b*) stamina cum suis antheris caudatis et auctis; (10) stylus cum stigmate auctus; (11) semen cum sua corona pilosa; (12) idem longitudinaliter dissectum.

TAB. 162.

BALSAMITA *annua* pag. 186.

(*a*) Calyx communis cum flosculis; (*b*) una ex ipsius squamulis interioribus apice lutea; (*c*) flosculus tam disci quàm radii; (*d*) idem auctus; (*e*) semen maturum; (*f*) idem auctum, quale in disco; (*g*) idem, quale in radio, etiam auctum; (*h*) plantula seminalis dicotyledonea denudata, et aucta; (*i*) seminum receptaculum, et calyx in eorum maturitate patentissimus.

TAB. 163.

ANACYCLUS *aureus* pag. 188.

(*a*) Calyx communis cum receptaculo communi conico in centro; (*b*) flos longitudinaliter dissectus; (*c*) flosculus radii fæmineus valde auctus; (*d*) flosculus disci hermaphroditus similiter auctus, veluti palea ad ejus latus, ex receptaculo desumpta; (*c*) semen maturum ad naturam expressum.

TAB. 164.

INULA *viscosa* pag. 190.

(*a*) Flosculus radii ligulatus fæmineus; (A) idem auctus; (*b*) flosculus disci tubulatus masculus; (B) idem auctus; (C) idem, corolla longitudinaliter fissa et expansa, ut genitalia clarius conspiciantur; (D) corolla cum staminibus plus adaucta, et insuper antherarum tubus fissus et expansus, ut earum setæ binæ, in quas singulæ basi desinunt, apertius manifestentur; (*e*) semen cum suo pappo; (E) idem auctum; (*f*) seminum receptaculum, et calyx in eorum maturitate admodum expansus; (G) receptaculum excavato-punctatum, valde auctum.

TAB. 165.

CUSCUTA *Europæa barbuvea* pag. 192.

Fig. 1. Vitis ramus cum racemo maturo et plantâ. Fig. 2, ista pedunculis racemi adhærens, et ex illis pendens. Fig. 3, plantæ ramus longus seorsim visus, in quo supernè florum glomeruli duo, et infernè ad ramulorum basin squamulæ steriles.

(*a*) Flos; (*b*) calyx; (*c*) corolla; (*d*) eadem longitudinaliter fissa et expansa, cum staminibus, valde aucta; (*e*) calyx cum germine et stylis auctis; (*f*) capsula calyce cincta; (*g*) eadem aperta cum seminibus in situ; (*h*) semina separata; (*i*) plantula seminalis monocotyledonea,

spiraliter circa albumen convoluta, et valde aucta; (*l*) eadem absque albumine, distensa.

TAB. 166.

ERYNGIUM *amethystinum dilatatum* pag. 194.

(*a*) Flosculus cum palea ad basin; (A) idem insimul cum palea auctus; (*b*) corollæ petalum; (B) idem auctum; (*c*) fructus bipartibilis, dispermus; (C) idem parum auctus; (*d*) unum ex duobus seminibus tridentatum; (*e*) aliud bidentatum.

TAB. 167.

SELINUM *peucedanoides* pag. 196.

Fig. * Plantæ pars superior umbellifera. Fig. ** Folium ex radicalibus. Fig. ***: ejusdem petiolus in sua basi.

N. 1. Flos magnitudine naturali; (2) unum ex corollæ petalis; (3) idem auctum; (4) pistillum.

(*a*) Fructus dispermus, bipartibilis; (A) idem auctus; (*b*) fructus transversè dissectus; (B) idem auctus; (*c*) unum ex duobus fructûs seminibus dorso visum; (C) idem auctum; (*d*) ipsum ventre plano; (D) et istiusmodi auctum.

TAB. 168.

DAUCUS *halophilus* pag. 198.

(*a*) Umbella, dum floret, supernè visa; (*b*) eadem tunc postice observata; (*c*) eadem fructifera; (*d*) una ex umbellulis radii, dum floret, supernè visa; (*e*) eadem postice tunc visa; (*f*) una ex umbellulis disci posticè visa; (*g*) flosculus in centro umbellæ universalis situs; (*h*) unus ex flosculis exterioribus; (H) idem auctus; (*i*) vmbellula una fructifera; (*l*) pistillum parum auctum; (*m*) fructus bipartibilis, dispermus; (M) unum ex duobus seminibus transverse dissectum, et valde auctum.

TAB. 169.

ATHAMANTA *turbith* (A) pag. 200.

Caulis, rami, folia, flores, et plantæ alia, quæ in icone etsi minorata, ad naturam tamen verè conformia exprimuntur.

TAB. 170.

ATHAMANTA *turbith* (B) pag. ibid.

Fig. 1. Plantæ folium radicale, naturali magnitudine. Fig. 2, umbella universalis florens. Fig. 3, una ex partialibus posticè visa.

(*a*) Flosculus naturali magnitudine; (A) idem parum auctus; (*b*) corollæ petalum parum auctum, et anticè visum; (*c*) idem postice observatum; (*d*) pistillum cum calyculo supero; (D) idem auctum; (*e*)

fructus dispermus; *(f)* ejus semina uti disjungi incæptant; (G) eadem conjuncta et aucta transverse dissecta.

TAB. 171.

SISYMBRIUM *catholicum* pag. 202.

(*a*) Racemi apex corymbosus; (*b*) calyx; (*c*) flos; (*d*) corollæ petalum; (*e*) stamen; (*f*) pistillum; (*g*) siliqua.

TAB. 172.

SINAPIS *incana* pag. 205.

(*a*) Flos; (*b*) calyx; (*c*) corollæ petalum; (*d*) stamina cum pistillo; (*e*) siliqua rostrata; (*f*) eadem et rostrum monospermum separatum; (*gg*) ejusdem valvulæ cum seminibus apertæ; (*h*) semina.

TAB. 173.

COLCHICUM *Lusitanum* (A) pag. 211.

(*a*) Bulbulus é latere veteris bulbi, cui infernè adhæret, autumno florens; (*b*) corollæ una ex laciniis petaliformibus, quæ plus minusve tesselatæ esse solent; (*c*) bulbus vetus denudatus, medioque transversè dissectus, insimul et bulbulus lateralis sexflorus cum duabus spathis (híc longitudinaliter fissis) ipsis et floribus adhuc subterraneis; (*d*) bulbulus cum cauliculo, pedicello et pistillo unius floris corollâ denudato; *(e)* bulbulus cum cauliculo brevissimo; *(f)* pedicelli tres cauliculo impositi; *(g)* unius floris pistillum tubo corollæ discisso incumbens; ad ejusdem latus duorum florum germina, quibus styli dissecti.

TAB. 174.

COLCHICUM *Lusitanum* (B) ibid.

(aa) Bulbus novus, prout vere et maturo fructu observatur; *(b)* cicraticula orbicularis, ubi veteris bulbi radiculæ hærebant; *(c)* tuberculum unguiforme, sub cujus integumento, et alio in latere, bulbuli gemma latet sequenti autumno floralis; *(d)* folium infimum, seu radicale, bulbum novum tunicans, et caulem sub terra pauloque supra ipsam vaginans; *(e)* folia suprema capsulas aggregatas involventia; *(f)* capsula, ex tribus partialibus composita, dehiscens; *(g)* eadem transversè dissecta; *(h)* semina

TAB. 175.

POLYGALA *microphylla* pag. 214.

(a) Flos; *(b)* calyx parum auctus; *(c)* corolla aucta; *(d)* eadem aperta cum staminibus.

Tab. 176.

POLYGALA *Monspeliaca* pag. 216.

(a) Flos; *(b)* calyx parum auctus cum pistillo; *(c)* corolla aucta; *(d)* eadem aperta cum staminibus in carina cristata; *(e)* una ex duabus capsulæ valvis, dissepimentum et loculos monospermos promens.

Tab. 177.

ONONIS *Hispanica* pag. 218.

(1, 2) Flores cum pedunculis aristatis, et folia cum stipulis petiolo adnatis; (3) calyx; (4) corollæ petala, *(a)* vexillum *(bb)* alæ *(c)* carina; (5) staminum cylindrus cum stylo exerto; (6) idem longitudinaliter fissus; (7) pistillum; (8) legumen; (9) idem apertum; (10) semina.

Tab. 178.

SEDUM *Lusitanum* pag. 220.

Fig. 1. Pars infima caulis; Fig. 2, ejusdem pars terminalis florens.
(a) Flos; *(b)* calyx longitudinaliter fissus et expansus; *(c)* petalum; *(d)* stamina duo; *(e)* calyx cum pistillis primùm in pyramidem conjunctis; *(f)* pistilla sensim laxata; *(g)* eadem cum squamulis nectariferis ad basin; *(h)* unum ex pistillis seorsim visum; *(i)* capsulæ ferè maturæ; (I) eædem auctæ; *(l)* una dehiscens aucta; *(m)* alia etiam aucta matura semina promens; *(n)* semina; (N) unum ex his valde auctum.

Tab. 179.

MALVA *mauritiana* pag. 223.

Fig. 1. Caulis pars suprema florens.
N. 1. Flos; (2) calyx duplex, interior semiclausus; (3) iidem aperti, et posticè visi; (4) calyx exterior; (5) calyx interior; (6) capsula composita matura, calycibus contecta; (7) eadem calycibus nuda; (8-*a*) una ex capsulis partialibus; (8-*b*) eadem aucta; (9-*a*) semen; (9-*b*) idem auctum.

LAVATERA *silvestris* pag. 225.

Fig. 2. Caulis pars suprema florens.
(a) Flos; *(b)* calyx duplex, uterque semiclausus; *(c)* calyx duplex, uterque apertus et posticè visus; *(d)* calyx exterior; *(e)* calyx interior; *(f)* tubus staminum cum stigmatibus ex ipsius apice exertis; *(g)* pistillum; *(h)* capsula composita matura, calycibus contecta; *(i)* eadem calycibus nuda; *(l)* una ex capsulis partialibus; (L) eadem aucta; *(m)* semen; (M) idem auctum.

Tab. 180.

RANUNCULUS *dimorphorhizus* pag. 227.

(*a*) Radix supernè bulbosa longitudinaliter dissecta; (*b*) eadem infernè fasciculata; (*c*) calyx, stamina, et pistilla; (*d*) unum ex petalis corollæ cum squamula nectarii ad unguem; (*e*) stamen; (*f*) pistillorum capitulum; (F) idem fructiferum; (*g*) unum ex seminibus seorsim visum.

ALYSSUM *collinum* pag. 209.

(*a*) Flos; (A) ejusdem calyx auctus et apertus; (*b*) corolla naturali magnitudine; (B) ejus petalum unum auctum; (*c*) stamina aucta; (*d*) pistillum; (D) idem auctum; (*e*) silicula; (*f*) ejusdem valvulæ; (*g*) dissepimentum; (*h*) semina.

Tab. 181.

RANUNCULUS *adscendens* pag. 229.

(*a*) Flos; (*b*) unum ex petalis cum squamula nectarii ad unguem; (*c*) pistillorum capitulum, et calyx reflexus; (*d*) calycis foliolum unum; (*e*) semina in capitulum collecta; (*f*) ex his seminibus unum seorsim visum.

FINIS.

ERRATA.

Pag. Lin.		Lege
3 — 21	ultralonge	ultra longa
6 — 19	S. sclareoidis	S. sclareoidi
8 — ult.	laciniis	laciniis calycis
13 — 9 et 10	corniculi formis	corniculiformis
23 — 12	ex ovato-oblongi	ex ovatis oblongi
Ibid.— 19	ex patenti-decumbentia	ex patentibus decumbentia
26 — 3	sesquiliniam	sesquilineam
27 — 18	Radyx	Radix
30 — 1	sesquiliniam	sesquilineam
33 — 11	Orchys	Orchis
36 — 14	Radyx	Radix
47 — 14	cultas	culta
49 — 17	laciniis	interiore longiore bifido, laciniis
53 — 14	proprioribus	propioribus
62 — 11	proprioribus	propioribus
69 — 5	teniussime	tenuissime
82 — 2	differt	Hispanicum differt
99 — 30	Lusinamia	Lusitania
105 — 1	Thymis	Thymus
117 — 14	ovato-lanceolato	ovato-lanceolata
133 — 19	quinqueve	quatuor quinqueve
135 — 5	annua	annuum
142 — 17	teretis	teres
147 — 3	propriora	propiora
148 — 5	fucescentia	fuscecentia
174 — 3	læciniis	laciniis
180 — 3	muricatæ	muricata
192 — 20	gloumeruli	glomeruli
202 — 18	basiqus	basibus
205 — 21	conravis	concavis
209 — 25	ispsius	ipsius
210 — 5	Inodora et	Inodora est
241 — 13	*multibracteate*	*multibracteata*
247 — 23	ramutus	ramulus